





HISTORIA
FEBRIS ANOMALAE BATAVAE,
ANNORUM
1746, 1747, 1748, &c.

ACCEDUNT
MONITA SIPHYLICA.

AUCTORE JACOBO GRAINGER, M.D.

—ἐν γῇ ὀθνείᾳ σαλεύειν, καὶ κατὰ θάλασσαν, καὶ κατὰ κινδύνους πολεμίκους, καὶ κατὰ ἀῤῥωστίας, ἅι τοῖς πλανώδεσι βίοις ειθισμέναι εἰσὶ μᾶλλον προσκαθίζειν; ἢ τοῖς ἐν τεταγμένῃ ζωῇ·

THESS. Orat.

EDINBURGI,
Excudebant HAMILTON, BALFOUR, et NEILL.
M,DCC,LIII.

PRAECLARISSIMIS,

ET DE ORBE LITERATO BENE MERITIS VIRIS,

GERARDO VAN SWIETEN,

ET

JOANNI HUXHAM,

MEDICIS FELICISSIMIS;

VULTU NEUTIQUAM SIBI,

AST

SCRIPTIS LUCULENTIS, PRACTICIS,

VERE HIPPOCRATICIS,

PROBE INNOTIS;

OB FRUCTUM A SE EX HISCE CAPTUM,

HOCCE OPUSCULUM,

OBSEQUIO QUO PAR EST,

OFFERT

JACOBUS GRAINGER.

Lectori S.

ANTE annos tres, opuſculum, quod nunc prodit, erat exactum; quod, quum a primis in re medica viris imprimi dignum tunc cenſeretur, jam antea, niſi gravibus aliis implicitus fuiſſem negotiis, prelo ſubjeciſſem.

Id te monere, lector benevole, quia anno 1751-2 clariſſimus medicus ab exercitu Joannes Pringle librum, cui titulus *Obſervations upon the diſeaſes of the army*, edidit, perneceſſarium duxi.

Ibi inter alia Egregius Auctor, de febre intermittente, praeſertim anni 1748, tractat: ſed quoniam morborum militarium, tam in caſtris, quam in praeſidiis graſſantium, ideam generalem tradit, aſt ego febris anomalae, ſicut in 13 legione per annos

1746,

1746, 1747, 1748, 1749, apparuit, et quae ipſe miſerrima vidi, depingere tantum conor; mirari non eſt, ſi multa, quae amicum meum ſingularem aut latebant, aut operis inſtituti brevitas praetermittere cogebat, a me obſerventur.

Nuperrime diſſertationem de febre remittente, anno 1750 publici juris factam, magna cum voluptate perlegi: ſi theſeωs propoſitum omnia de hac re pro viribus auctorem expendere permiſiſſet, obſervationes meas nunquam vulgaſſem.

A claris viris in praxi tradenda diſſentienti, ne quis mihi vitio vertat: obſcuriorum deliramenta corrigere, ſupervacaneum; ſed quicquid deliquerint principes, quorum opera quotidie verſamus, de genere humano unumquemque bene merere ſtudioſum patefacere oportet.

Quamvis febris, de qua in praesenti tractatur, ſit potius Belgicae propaginis, et praeſertim ibi medicinam facientium uſui accommodatur opuſculum; attamen quum eadem fere per Britanniam nuper cum ſaevitie increbuerit, et noſtratibus aeque huic debellandae utile fore confido.

Suasu illuſt. Med. D. Andreae St. Clare, caſus quoſdam, qui et ad morbum plenius deſcribendum, et ad praxin illuſtrandam faciunt ex commentariis noſologicis ſelectos adjeci.

Dissertationem medicam de modo excitandi ptyaliſmum, quoniam nonnullis, quorum judicio obtemperare ſemper honori ducam, in hac, quaedam gravia, tyronibus ſaltem haud vulgo nota, obſervata fuiſſe, viſum eſt; recudi curabam.

Lues

Lues ipſa vix plures, quam male adhibitum medicinae genus, peſſundat.

Sed, ut finem faciam; quid tandem praeſtiterim penes alios judicium eſto: Aristarchi animadverſiones non formido, Zoili mordaces cenſuras contemno: judici aequo, tentamen, iniquo, ne vel opus omni numero abſolutum, arridet.

Dab. Edin. 1753.

INDEX

INDEX Capitum et Rerum.

PARS PRIMA.

PARS

PARS SECUNDA.

PARS TERTIA.

Caſus XX ad febrem et praxin illuſtrandam.

D e

DE

FEBRE ANOMALA

BATAVA, &c.

INTRODUCTIO.

DECET omnes, quorum curae ſanitas hominum committitur, prima morborum principia diligenter obſervare; talis etenim obſervatio, cum ubique multum ad morbi genium eruendum facit, tum praecipuè in exercitu, neceſſaria eſt, a cujus quippe integritate, civium ſalus pendere poteſt. His permotus rationibus, ex quo ſtipendia medica merui in caſtris, quin militum caſus, quos mihi tractare contigit, ſcriptis identidem mandarem, religionem duxi. Inde conflatur morbi ſequentis deſcriptio; exitu quidem non adeo funeſti, ac quidam alii caſtra depopulantes; quem tamen (utpote frequentiſſimum, et exercitum militiae gerundae imparem aeque reddentem), ut probe calleat praxin militarem faciens, apprime neceſſarium habeo.

CAPUT I.

Descriptio Febris Autumnalis 1746.

SUPERIORIBUS annis, febris quae intermittit frequenter satis legione in nostra increbuit; sed quoniam quae de hac observaveram, GANDAVI inter spolia, perdebantur, a febre illa, quae A. D 1746 milites nostros, SCOTIAE a montibus in HOLLANDIAM jam reduces corripuit, sermonem instituam.

AUTUMNUS erat quando ad WILLIAMSTADT appulsum: eo tempore, foederatum ad exercitum, in NAMURCI confiniis bella gerentem, itinera intercludebantur; hoc nostratibus male cessit, quippe detentos sub tali coelo, atque recentes ab aëre SCOTICO, salubri, febris quam depingendam suscepi, atrox invasit.

MORBUS ab initio, apud militum quamplurimos, febrem ardentem, continuam, frigore praegressam, siti, calore, pulsu celeri, pleno, duro, aequali, &c. stipatam simulabat. Horum plerique de scrobiculo cordis, orisque amaritie conquerentes, cibum fastidiebant; inter quos plurimi bilis variegatae ad libras evomebant, hoc illis, semper pro tempore, levamento fuit. Omnibus, vel caput vel lumbi, per totum morbi decursum, dolebant. Quibus erat totius

totius capitis moleſtia diffuſa, quamvis miſere cruciati, illis erant feliciores, quibus dolor circumſcriptus vel frontem vel tempora gravabatur; hiſce plerumque, vel artuum vel muſculorum, brachii vel femorum, dolores nunc fixi nunc vagantes ſuperaddebantur: hinc mirandum non eſt, ſi diem inquieti noctem inſomnem agebant. Tertio, 5, aliquando tardius, raro citius, urina tenuis, pallida, nec quidquam ſubſidens, cita, moleſta ſpiratio, jam deliraturos praeſagiebant. * Symptomata haecce feſtâ pede ſequebatur mors, (ut apud incolas, qui pharmaca abhorrebant, notabam), niſi natura, morbi materiem jam probe coctam, per corporis excretoria, ſpiracula praeſertim cutis, (ſudabant enim copioſe per diei ſpatium) expulit. Nec tacendum eſt, quod paucos, copioſus è naribus ſanguinis effluxus, febre liberabat Hoc prae caeteris accidebat illis, quibus initio, parcè nimis detrahebatur ſanguis; paucis verò, materiae morbidae ανω και κατω violenta expulſio, pro judicio erat; dum alii inſenſibiliter quaſi a febre emergebant.

Haec febris ſolutio, die fauſto, infauſto ſaepius accidebat. In utroque, auxilio pari, quippe quamvis mens poſtea magis ſibi conſtitit,

* Vid. Caſ. 1.

ſtitit, doloreſque minuebantur, attamen cutis adhuc fervebat, aderat ſitis, et pulſus quam debuit citatior. Haec mala, urina tandem craſſa copioſa, ſubfuſcum ſedimentum deponens, brevi amovebat.

Hoc modo, apud florentes aetate, ſpiritibus ardentibus nimis indulgentes, * ſaeviebat. Qui magis ſobrie victitabant, de cephalalgia et lumbagine, 3 vel 4 per dierum ſpatium, cum ſenſu moleſtiae in ventriculo per vices, querebantur, antequam febris illos lecto defigebat. Ætate vero graviores, labore militiae fracti, et ab aliis morbis convaleſcentes, periodicam remiſſionem plerumque ab initio patiebantur, quae fere 7 dierum ſpatio exacto, liquido intermittebat. Aliquando tamen, et illos ſaevior acceſſio, horarum 48, immo quod rarius 72 horarum ſpatio, curſum tantum finiens, invaderet. Plerumque crudelius in Monticolas, Scoto et Gallo Britannos, et novos milites legionis noſtrae, cujuſcunque aetatis, cujuſcunque temperamenti demum, praedatus eſt. Obſervavi tantùm quaſdam tertianas, et unam quartanam a primo morbi die, mire regulares.

QUIDAM praefecti, paucae mulieres, fere nulli infantes, hâc febre, vel intermittente mox ſecuturâ, laborabant.

ELAPSIS

* Vid. Caſ. 1.

Elapsis jam 3 ſeptimanis, centum fere milites, ex iis qui in hoſpitiis urbanis manebant, decubuerant. Interea tres cohortes, quibus ſuburbanum ſiccius ruſticum per teſſeras aſſignabatur, erant intactae. In reliquas vero duas legiones, quae unà nobiſcum in Hollandiam venerant, morbus ſaevius adhuc debacchatus eſt. Uni harum 110, alteri fere 200 aegrotabant. Ambo, apud colonos Williamstadt vicinos, diſperſae jacebant. Nec illis, nec noſtris noſocomium ſuppetebat. Multa exinde mala ortum ducebant. Miſeros tam frequenter inviſere nobis non erat datum; praeſcripta pharmaca vel penitus a quibuſdam neglecta erant, vel more indebito ſumpta; immo quamvis illis quotidie, quid utile et quid non, dictitabamus, maxima pars militum, tam parum de victus ratione ſolicita eſt, ut impedire non potuimus quin aliquid nocivi, aegris propinaretur. His addatur, quod vix a Jove pluvio tecti, ſtragulis nullis operti, commilitonum clamore perpetuo vexati, ſupra ſtramen jacebant. Hujus loci eſt, etiam ut memorem quod noſtri milites, navigatione fauſte peractâ, ſomno et ſpiritibus ſepulti, in pratis, longè a praeſidio, ne a praefectis obſervarentur, ſaepe deprehen-

deprehendebantur. Quantum haec ad morbi genium perturbandum valeant, vel parum in re medica verſatus facilè perſpiciet. Hinc factum eſt, ut quamvis apud ruricolas invaluerit, immanius longe apud noſtrates ferbuit morbus.

Elapsis poſt adventum 6 ſeptimanis, ut iter ad exercitum faceremus, imperatum; tunc temporis, quamvis erat mitior morbus, quinquaginta fere, quos plauſtris vehere nobiſcum non erat adeo tutum, ad noſocomium in pago Oosterhoute conſtitutum, mittere cogebar. Sed quoniam omnes auctores conſentiunt, coeli mutationem, ad morbum hunc ſupprimendum, egregiè facere; omnes, quibus erat lucida apurexia, et inflammatio deſierat, circumvehere decrevi; nec conſilii poenituit, quippe non ſolum pauciores in itinere recèns corripiebantur, ſed etiam apud reliquos miteſcebant ſymptomata. Hoc eo magis mirandum eſt, quia eccleſiae fere ſemper abſque tectis, immo tentoria pró hoſpitio erant; et noctu ſemel, per loca paluſtria iter facere, neceſſitas cogebat. Fatendum tamen eſt, quod coeli temperies, per totum iter, erat admodum benigna, raro nimboſa, et nunquam pluvialis. Nequaquam vero reticeri debeat,

debeat, quod in plauſtris vectio quotidiana, quibuſdam, lateris dolorum (abſque febre) erat cauſa; dum alii, de colica et ſedibus mucoſis, querebantur. Illum, ſanguis detractus, hunc, theriaca cum aqua cinnamoni ſpirituoſa, * exhibita curabant. Iter hoc utcunque laborioſum, nonnullis paroxyſmos penitus diſcuſſit. †

Quando ad Trajectum ad Mosam ventum, curatio iterum interumpebatur; quippe fama invaluit, quod nobis brevi cum Gallorum copiis dimicandum eſſet; quapropter omnes qui manus conſerere non poſſent, ut mos eſt, ad noſocomium campeſtre miſi.

Post reditum in hyberna Nov. 1746, morbus, qui vix ullos, a praelio Rocoux, in caſtris invaſerat, multos iterum invadere caepit.

Huesdenium nobis ſorte pro hybernis, civitas, ſi quae alia, inter Hollandiae ſaluberrimas, utpote ſicca meritò referenda, contigit: duabus alteris legionibus quae unà nobiſcum mare trajecerant, non tam proſpere ceſſit; una quippe earum, in Gravia ad Mosae ripam ſita, altera, in Sylva Ducis, munimento longe teterrimo, paludibus undique obſito, hybernabat. In hac urbe, recidivae non ſolum

* Vid. Phar. Lond. † Vid. Caſ. 2.

lum erant magis ſolennes, curatu difficiliores, morbos chronicos, non ſanandos producentes; ſed quamplurimi quos nunquam invaſerat morbus, ut me fecit certum chirurgus cel. amicitia mihi conjunctus D. ALEX. MONRO, lecto per totum hyemem, ab illo defigebantur; verum tamen eſt, quod et apud nos, et GRAVIAE, nonnulli ſic corripiebantur; at, in utroque loco, major pars, eorum qui tunc aegrotabant, inter illos erant, qui odio regiminis tam ſanctè in noſocomiis obſervati, et deſiderio cum contubernalibus vivendi, valetudinem antequam reverâ a morbo liberi erant, ſimulabant: idem accidebat multis eorum qui ab OOSTERHOUTE redierant.

FEBRIS nulla continua praeceſſit, paroxyſmi neque tam longi, neque tam frequentes, quippe pleriſque duos integros dies intermittebat. Notari debet, quod et hac tempeſttate multi doloribus adficiebantur horroris tempore, ſed ut primum aeſtus febrilis aderat, dolorum erant expertes. Pauci, ex iis praeſertim qui MOSAM menſe decemb. in apertis navigiis deſcenderant, cum febre intermittente conjunctam dyſenteriam habebant. Horum nonnulli vermes ανω ϗ κατω ejecerunt, et crura erant oedematoſa. Quidam febre finita

leuco-

leucophlegmaticus devenit; post purgantia incassùm tentata, tumor noctis spatio, diuresi copiosâ penitus evanuit, et febris rediit. Mense Januario 1747, erysipelas cum febre conjuncta, per faciem cujusdam, temperamenti sanguinei, serpens, morbum periodicum praeibat. Quartanae, procedente vere, sponte suâ decedebant, et sciaticas, quas fere semper comites habebant, plerumque amovebant. Tussis etiam, febre exsuperatâ, fere semper remansit, lacte ammoniaco domandâ. *

Methodus, quam in morbo tractando usurpavi, postea dicetur. Hic tantùm loco coronidis adjicere lubet: quod Huesdenii erat nobis valde commodum, quippe amplum, et siccum valetudinarium; et quod fere nulli, hac febre laborantes, sub finem Januarii inveniebantur. Haecce vero a morbo immunitas, brevi cessavit, quippe mense Aprili hyberna pro castris mutavimus; et tunc morbus, sub falsa et imagine ludens varia, eo periculosior erat, quia incautis non adeo facilè detegendus, recruduit.

B CAPUT

* Vide cas. 3.

CAPUT II.

Febris intermittentis vernalis anno 1747 *Deſcriptio.*

VERE novo ergo, tantùm remiſiſſe videbatur, ut nunc, luis ad inſtar, debaccharetur atrociùs; raró quidem prae ſe ferebat febris continuae ſpeciem, hujus tamen vice, formis aequè varietate mirandis, ac ſaevitie contumacibus, ſtipata prodibat.

In coſtas thoracicas quorundam impetum fecit, dolore lancinante eas laceſſens; ſitis, aeſtus, ſpiratio impedita, pulſus velox, duriuſculus, aliquando ſuperaddebantur.* alii ἄνω ϗ κατω horrendum purgaverunt; dolor tunc epigaſtricus atrox, reſpirationem arctans, plerumque praeceſſit.† Apud alios, dolor in ſcrobiculo cordis, cum frequente, copioſa, mucoſa, cruenta nonnunquam dejectione, febris periodica ſucceſſit.‡ In paucis vero, angina inflammatoria morbum praeibat. Aſperitas faucium et raucedo admodum inquieta, per periodos redeuns uni, paroxyſmum praeceſſit;

* Vid. caſ. 4.
† Vid. caſ. 9.
‡ Vid. caſ. 9.

cessit; dum alter de tinnitu, doloreque aurium interno * conquestus est.

Neque contenta erat febris, veris morbidis spoliis larvari, sui terrorem magis augebat, symptomatibus, quae vulgo audiunt nervosa, sibi associatis. Sic non defuere, qui de vertigine, praesertim quando e lecto surgebant, vel vultum in altum tollebant, querebantur. Hoc symptoma maximè apud illos, quibus V. S. omni vere familiaris erat, invaluit: paucorum spasmi nunc lacertos, nunc femora et crura convellebant. Hoc, in nimis tempestivis, aeque ac in castris hybernis, aliàs notavi. † Sed quod magis mirandum, morbos, in quos vel a natura, vel a malis praegressis, proclivius milites incidebant, simulabat. Hoc exemplis quae sequuntur liquidò patebit: tres insultus epileptici, quibus jam a longo tempore parebat, a malè curata ossis parietalis fractura, intermittentem, in veterano quodam praeibant: et alteri, qui saepe nephritide laborabat, a paroxysmo nephritico accessit febris; ‡ plura hujus generis postea (1748) exempla observare licuit.

Haecce

* Vid. cas. 7.
† Vid. cas. 4.
‡ Vid. cas. 6.

Haecce ſymptomata, dies aliquot, fere ſemper antequam febris typum ſuum induebat, nonnunquam per primos circuitus, rariſſimè per totum morbi decurſum durabant.

Acceſſiones veras, fere plerumque hebetudo, pandiculatio, faciei pallor, livor unguium, frigoris ſenſus per totum corpus, prae caeteris vero in genubus et ſpina dorſi obſervandus, praegrediebantur, Quos febris quotidie invaſit, prae reliquis, in ſomnum erant proclviores, durante tremore. Anne frigore, ab externis, ad cerebri vaſa, propellitur ſanguis? ſane corpus marceſcit, venaeque fiunt exiliores. Sic qui aëre frigido peregrinantur, ſomnolenti deveniunt primò, cui ſi indulgeant, citò apoplectici moriuntur. Cur ergo haecce dormituritio quotidianae fere idiopathica eſt? horror, tremor, praecordiorum arctatio, pulſus tremulus, parvus contractus, pondus in ſcrobiculo cordis. Non tamen idem tenor apud omnes obtinuit. Nonnullis enim dum dentes ſtridebant, cutis plus nimis calebat, et pulſus debito plenior. Pauci frigus internum, dum tactui cutis fervebat, percipiebant. Sed quod notatu digniſſimum eſt, veteranus quidam, de frigore unius, et alterius lateris calore, ſemel querebatur. Unde oritur tunc

calor;

calor, unde frigoris ſenſus in corpore noſtro? * Plerique tremoris tempore, doloribus vagis vexabantur, raro rigore. Symptomata priora, ſaepe duas, aliquando quatuor, rariſſimè horulas quinque, vel ſex, durabant; tremor corpus poſtridie contuſum quaſi, fere ſemper reliquit.

Inclinante ſaepe tremore, ineunte aliquando, rarius fine, nonnunquam aeſtus febrilis tempore, vomebant. Haecce vomitio, primos paroxyſmos plerumque comitabatur; nonnunquam tamen per omnes inſequentes circuitus, malè ſe habuit ventriculus, liquorem tepidum, parcâ utcunque manu adhibitum, rejiciens. Nonnulli etiam, qui in morbi incremento, a vomitu immunes fuerant, declinante illo, vomebant. Haec evacuatio ſemper omnibus pro tempore levamento fuit; neque erat tam bilioſa, neque tam frequens, ac autumno 1746.

Sequebatur febris ſex, octo, duodecim, quatuordecim, immo viginti quatuor horas durans, ſitis, inquietudo, vultûs rubor, oculorum ſplendor micans, capitis dolor, lumborum moleſtia, pulſus velox, plenus, &c. mentis

* Vide explicitam, ſimplicem, elegantem phyſiologiam, a Profeſſ. D. D. Whytt, cui titulus *An eſſay on the vital and other involuntary motions of animals.*

mentis aliquando alienatio brevis, quae, ſudor pleno rivo dimanans, autumno praegreſſo copioſior et longior, tandem ſolvebat. Sudor, nares adſtantium, peculiari non ingrato odore, percuſſit.

Tertianae 3 vel 4 ſeptimanarum ſpatio facile pharmacis cedentes, prae primis invaluerunt. Immo apud quoſdam tam mitis erat ut poſt paucas acceſſiones vel ſponte vel ſaltem anilibus oppugnata remediis, deceſſit. Aliquando tamen 20 vel 30 circuitus, utcunque dabantur medicamenta, peragebat.

Miles quidam temperamenti ſcorbutici, olim intermittenti obnoxius, tertianâ corripiebatur aeſtatis initio. Increſcente primo febrili paroxyſmo, et os, et nares magnam ſanguinis vim effuderunt: citò quidem circuitus quievit, aſt ſanguinis effluxus minore, niſi quando a paroxyſmo augebatur, ſed perenni ſtillicidio, etiam frigoris tempore ad 4 dies duravit. Hoc idoneis compreſſo, a gingivis ſanguis, utcunque ſtyptica adhibebantur, acceſſionis initio, per ſeptimanam ſtillans erupit. His febris brevi quidem jugulabatur, ſed ſcorbutus in pejus ruebat, et tarde integer factus eſt.

Inter

Inter primos paroxyſmos, imprimis febrilis caloris tempore, ſaepe puſtulae ſuppurantes, labrum ſuperius, nares, dum apthae linguam et oris interna, obſidebant; * ſuperiore autumno idem ter notabam. Hiſce reverâ non criticè ſolvebatur morbus, attamen paroxyſmum, quo erupuerunt, pleniùs et citiùs judicabant. Unus vero, magno cruris apoſtemate a morbo hoc liber evaſit; et alter eodem tempore magnam ſymptomatum imminutionem, a phlegmone genu invadente ſentiebat; ſed numne futura perfecta criſis ignoro, quippe brevi poſt in praelio ad vicum Lafelt commiſſo, inter fortiſſimos dimicans, interfectus eſt; fatendum eſt, quod eo tempore (Junio menſe) fere totus deſierat morbus.

Ad ακμην menſe exeunte Aprili evectus, Maio remiſſior erat, Junio vix ulli inveniebantur affecti, ſed locum ceſſit poſt praelium, morbo magis foedo, lethali magis, nimirum dyſenteriae. Haec non ſolum in noſtro exercitu ac in Gallico graſſabatur, ſed praeſertim plurimos indigenarum undique orco dedit: multis horrendis ſymptomatibus ſtipa-

batur;

* Vid. Caſ. 8

batur; quorum descriptionem in libro clariss. D. Pringle invenies: adjicere tantum liceat, quosdam infantes lactantes sedibus cruentis interiisse, quorum matres ab illis erant liberae, et quod hoc tempore multi canes rabie corripiebantur. Monet me tantùm opusculi hujus institutum, ut dicam, quod pauci eorum qui vere praegresso, febre laborabant, in nostra saltem legione, dysenteriâ corripiebantur. Ante etiam adjiciendum, quam praesens argumentum absolvam, febrem intermittentem ortum non solùm, sed et durationem, secessui in Williamstadt debuisse; quippe legionibus a dextro nobis et sinistro latere castra habentibus, nulla erat hujusmodi febris, quando 40 plus minus e legione nostra, illâ conficiebantur. Hoc ètiam copiaram nostrarum, quae primâ aestate ejusdem anni (postquam excelsiss. Aurant. Princeps ad Belgii foederati dominium, plaudente populo, evectus erat) in Zelandiam mittebantur, exemplo ulterius probatur. Quippe illis, exacto 12 mensium spatio, hujus febris erant reliquiae admodum dirae, quando reliquae copiae ab illa penitus erant immunes; et multi anno 1748-9 febre plane Batava intermittente corripiebantur domi, quibus in

Belgio

Belgio pepercerat morbus. Qua parte ergo latet morbi fomes? Quoſnam praeſertim inquinat humores? De ſanguine nil certè affirmare poſſum, et quidèm in caſtris de illo vix unquam obſervationes inſtituere licet.

Hoc anno, viz. 1747, in Cantio hybernabatur; ex militibus pauci, qui in humiliore comitatus parte erant, et antea intermittente Batava laboraverant, alteram quidèm morbi brevi ceſſantem, tentationem patiebantur. Et in nave collega meus, D. Rob. Murdagh, primùm illâ corripiebatur; multis inflammatoriis et rheumaticis ſymptomatibus, et alvi aſtrictione finitâ ſeptimanâ finientibus, perſonata apparuit; cruſtâ tenaci albidâ ſanguis detractus obducebatur. Gravesendae intermittebat; et Vagniaci citò emeticis et cortice curabatur; neque anno ſequente, morbo, quamvis epidemicè ſaeviit, tentabatur.: multo poſt, oculi erant flavi, et os ingratè ſapiebat.

CAPUT III.

Febris autumnalis A. D. 1748 Descriptio.

SUPERIORIBUS annis, febrem satis atrocem vidimus; hocce anno, hujus longè immanior species oborta, describenda restat. Non in paucas legiones saeviebat nunc, sed totum fere exercitum corripiens, plures undique jugulabat. Nulla aetas, sexus nullus hujus immunitatem habuit.

POST felicem satis trajectum, legio nostra, duabus aliis comitata, ad WILLIAMSTADT exposita, sana, viribus integra, et statim ad SEVENBERG ducta, ibi stetit per quosdam dies. Quamvis hoc oppidulum, WILLIAMSTADT salubrius est, multi milites, febribus inflammatoriis facilè curatis, corripiebantur. Hasce, et anni temperies, et copia spirituum ab intemperatis quotidie ingurgitatorum, faciebant. Maii 11, cum reliquo exercitu ad vicum rusticum NISTELROY, post quaedam itinera laboriosa, loco satis patenti et sicco, castra posuimus. Hîc statim, et vitae et regionis discrepantia innotuit, quippe dysenteria exitiosior quam unquam hâc tempestate videre

videre fuit, milites nuper conſcriptos, oppreſſit.—N. B. Duo tantum veterani illâ correpti fuerunt. Symptomata quaedam, ſanè haud vulgo deſcripta aderant. Quibuſdam adeo incaluit abdomen, ut manum etiam tangentis, caloris ſenſu afficeret; ſub frigido aëre locari, frigida bibere, enixè rogabant; caput, et corporis extrema erant frigida; attamen cavere vix poteramus quin ſuper herbam nudo ventre jacerent; brevi virium proſtratio, liquidi faſtidium; nec corpus erectum prae ſyncope tenere potuerunt. Interea dentes duorum, quamvis naturâ albiſſimi, nigreſcebant. Pulſus debilis, frequens, exilis, ſedes involuntariae, ſpaſmi, delirium, foetor cadaveroſus, doloris ſubita ceſſatio cum frigore interno, mortem accelerabant. Moriebatur unus, 4 die poſt invaſionem; poſt 21, nullus periit. Erat contagioſa, nam duos colonos, in quorum ſtabulo dyſenterici cubabant, invaſit; immo et aliis morbis afflictos, quamvis ab illis ſeparatos, corripuit. Paucos Junio, Julio nullos proſtravit; ſed locum ceſſit morbo, quem praecipuè depingere ſuſcepi.

Brevi poſtquam copiae noſtrae, per varios vicos, armiſtitii cauſâ, Sylvae Ducis, Bredae, et Eyndhovae vicinos, diſpertiebantur,

tur, hicce morbus exortus ſui principia dedit. Tota iſta regio, naturâ eſt paludoſa et humilis, aërque praehumidus, tam a plantariis, quam ab aqua undique ſub ſuperficie latente. Haec aëris naturalis humiditas, inundatione (circa Sylvam Ducis et Bredam) nuper belli cauſâ factâ, ſiccante, augebatur. Sub finem Julii, et per totum Auguſti menſem, tempeſtas erat praeter conſuetudinem craſſa, fervens, nullis ventis refrigerata. Duo pagi, nomine Strype et Woensal, ſubmiſſa, et paluſtria loca, arboribus denſis, et ſtagnis pluribus fere circumdata, nobis ſorte contigerunt. Aër hîc aqueis ſemper particulis putridis ſcatebat. Mane et veſpere coelum plerumque nubilum et foetidum, quod ſol meridianus ſerenare vix poſſet, dum noctes et frigidae et nebuloſae erant. Aqua inſalubris, nec niſi coquendo, potui idonea reddenda eſt. Lac ibi nunquam nimis ſanum, ſed lucri captandi gratiâ, aquâ paludoſâ additâ, pejus tunc temporis reddebatur. Cereviſia peſſima: ovium viſcera inſpicienti, et pulmones et hepata tabida fere ſemper apparebant. Haec ab antiquis oppida condituris religioſè obſervabantur; et ſi viſcera pecorum in vicinia paſcentium erant livida, alio commigrabant.

commigrabant. Caro bubula erat ſatis bona, ſed nimis pretioſa pro milite gregario. His addendum, quòd, quoniam militum multi longè a macellis aberant, apud ruricolas, poma, fabas, aliaque hujuſmodi, quae hoſpitibus victus ratio, vorabant.

Julii 8vo, juvenis quidam, naturâ debilis, delicatulus, et qui ex dyſenteria ancipite convaleſcebat, primo mane, per horulae ſpatium imo in ventre miſerè algebat, quod excipiens calor totum per corpus, in abdomine intenſior, oborto copioſo ſudore, trihorio integritas, die ſequente eodem modo interrupta, et reſtituta, ſequebatur; veſpere ejuſdem diei, miles, annum 45 agens, qui mercurialia pro ulcere tibiae chironio, per 6 ſeptimanas alternis diebus, parvâ admodum quantitate, ſumpſerat, paraxyſmo decubuit. Poſtridie mane, 12 hoc modo corripiebantur, finitoque menſe, 86 aegrotabant. Neque hìc reſtitit morbus, ſed limites dominationis ſuae quotidie promovens, Auguſti medio 135 milites, acceſſiones patiebantur. Neque ſilentio praetereundum, quod die, quo ſol defecit, viginti recens corripiebantur. *

Illos

* Vid. accuratam diſſertationem, cui titulus, De febre remittente, a D.D. Franciſco Home, ann. 1750 editam, p. 20.

Illos, qui aquam, lac ebutyratum bibebant, fructibus, oleribus nimis vescebantur, qui imprudentes veneri litabant, et qui noctu coenosis sinuosisque locis indormiebant, praesertim affligebat. E contra, qui victu carneo lautiori utebantur, qui vinum forte, austerum, acidum, largâ satis copiâ bibebant, febre hâc rarò corripiebantur. Hinc factum est quod praefectorum pauci, secus ac in dysenteria, autumno praegresso, illâ laborabant. Sed quoniam vinum tale, milites nostri comparare non possent, ab excelsissimo Cumbriae Duce cautum erat, ut, alternis saltem diebus, carne vescerentur. N. B. Pisces qui in lacubus inescabantur, erant prohibiti. Legiones, quibus erat paludosior situs, immo ejusdem legionis cohortes, ratione hujus, reliquis magis aegrotabant.* Et in universum, quando semel in quovis horreolo, saltem depressiori, exorsa erat febris, omnes illic habitantes, brevi corripuit.

Quamvis haec febris non ita multos, sub febris continuae ardentis ac autumno 1747 larva adoriebatur; quippe praesertim remissio imperfecta, jam inde a principio obtinebat; varia attamen symptomata, ex classe inflammatoriâ

* Vid. dissert. de febre remitt. cl. Home, p. 18, 19.

inflammatoriâ petita, iniens ſibi aſſociabat. Horum praecipua erant, coſtarum et abdominis dolor lancinans, ſaepe ſpiritum impepediens dyſenteria; * rheumatiſmus, nunc lumbos, nunc artus vel femora vexans, nephritis, urinae difficultas, &c. Pulſus rarò erat tam plenus et durus, ac in vero morbo inflammatorio. Neque ſolum, intra limites morborum acutorum ſe continuit, nervoſo ſatellitio ſtipatus, medentes aequè ac aegrotos terruit. Hoc imprimis, in praefecto tormentis bellicis, quae legionem noſtram comitabantur, obſervabam; hunc enim ſub febris nervoſae genuina forma per dies 4 ante manifeſtò quam ſe prodidit, luſit. † Et muliercula quaedam, ter a paſſione hyſterica vehementer paſſa eſt, antequam palam ſe fecit intermittens. Hoc tempore quoque, dabatur occaſio luculenta ſatis obſervandi, quod morborum ſymptomata, quibus, vel a temperamento, vel caſu, aegri erant procliviores, aut invadens ſimulabat, aut poſt ſe reliquit. Hoc modo, vomitus cruentus, a quo jam per quoſdam annos per vices patiebatur, febris hujus prima dedit indicia in delicatulo quodam.

Alter

* Vid. Caſ. 11.

† Vid. comm. noſol. p. 144. Vid. caſ. 10.

Alter, febrilis aeſtus tempore, per primos circuitus, magnam cruoris vim perdidit. Vir ſanus, robuſtus, caſu pericranio latere vulnerabatur, ei acceſſit febris intermittens poſtridie. Quidam tertianâ per tres ſeptimanas decubuit, huic ſupervenit icterus quo olim laboraverat. Sed quod prioribus erat magis funeſtum, febris haec a qua vix evaſerat, in duce quodam unius lateris fere paralyſin (qua olim affligebatur) poſt ſe reliquit. Plura hujuſmodi recenſere poſſem, ſed dicta ſufficiant.

QUAMVIS febris, quae alternis diebus invadit, erat longè frequentiſſima, raró typum certum, utcunque periodicum, per primas ſeptimanas ſervabat; in duplices ſaepe mutabatur. Quotidiana aliquando duos integros dies ceſſabat. Tertianâ per duas ſequentes auroras vexatos, per duas alias a febre immunes vidi. Exquiſitas plurimas quartanas (quae in WESTPHALIA et POMERANIA indigenae) et ſemitertianas exquiſitas, quas Graeci vocant ἡμιτριταῖος in plurimis obſervare licuit. In hac, febris ſemper gliſcens veſperi, exacerbatio notabilis cum tremore, exacerbatio quovis 3 mane. Quidam, poſt febrem ſeptem dierum, a febre immunitatem per octo dies habuit, invaſit acceſſio trium dierum notabilis.

tabilis, ſudore copioſo ſolutus. Et ſic quater, antequam rediit ſanitas, miſerè affligebatur. Quidam quotidie febricitabat, alternis horruit cum febre aucta. Foemina nutrix quotidie cum febre decubuit, omni quatriduo egregiè horruit; miſellulus infans quotidie mane tremebat, et poſtea inſignem calorem patiebatur. Nec mater, nec nata a febre liberabantur, quamvis parens corticem cum regimine ſumpſit, priuſquam infantem a lacte abigebat. Nonnullas partus foelix integritati reſtituit: quaedam etiam dum fluebant lochia, morbo periodico correpta citò ſanitatem recuperavit. Neque exquiſitam tertianam, 12 horis et 7 curriculis finientem curſum, neque quotidianam eadem horâ revertentem hac tempeſtate notabam.

ET ſanè lugendum, quod GALENUS, qui adeo gloriatur in hiſce dignoſcendis, ſigna nobis non reliquerit ampliora diagnoſtica; quoniam eum medici nomine indignum ſtatuit, qui haſce vel primo die diſtinguere nequiret. Certè ego ſigna, quae ab auctoribus ad haſce dignoſcendas traduntur, animo ſolicito hoc tempore volvebam, neque inde orta eſt mihi ullam regulam certam de hac re ſtabiliendi facultas. In quotidianis quippe ſaepe rigidos vidi, et calor manui injectae increſceret,

 quae

quae ab auctoribus signa tertianae habentur. Et corporis tantillam refrigerationem, febrem quam maximam saepe sequentem vidi. Quartanas saepe sine rigore incipientes, et saepe sudore copioso judicatas vidi. Neque semper horis postmeridianis invadebat. * Neque quidquam certè ab urina peti poterat; quippe ejusmodi esse apud omnes notabam. Pulsus est aeque fallax. Neque certò affirmare possum, quis sexus, quaeve aetas huic vel illi praecipuè parebat typo, quippe in omni fere omnes observabam; immo in eodem febricitante, antequam morbus plane siluit, nonnunquam genera varia, quae alias a scriptoribus designantur, annotabam. Anne harum febrium sedes diversa? Anne minera varia?

Per paroxysmos, saepe animo deficiebant, et omnibus ultra modum, statim in initio vires prosternebantur, adeo ut vir robustissimus brevi ad statum infantilem redigebatur. Omnes fere animi moeror depressit: multi aliena loquebantur febrilis praesertim caloris tempore. Plerisque erat facies subicteritia, squalida,† qui faciei indecorus habitus, per anni spatium aliquando

* Vid. Hoffman. tom. 2., p. 23.

† Haecce cutis et oculorum flavedo erat pessimi augurii in tertiana Balearica; vid. cl. Cleghorn p. 3. p. 203, 4. at in nostra mali diuturnitatem praesertim portendebat.

quando durabat, poſtquam a febre jam planè convaluiſſent. Anne hicce color, a bile per ſyſtema vaſculare diffuſa, vel a pinguetudine rancida, vel a ſanguinis craſi ſoluta (ut in contuſionibus) pendet? illos, motus vel minimus, in ſudorem copioſiſſimum ſaepe frigidum excitabat, vel miro modo anhelos reddidit. Omnes erant pigri et ſtupidi. Quae de tempore invaſionum febris Int. ingenioſè commentus eſt D. Paschalius P. tranſ. N° 202 vafra deprehendi.

Quidam horrentes, de aeſtu intus querebantur: plurimos febris invadebat, ſine frigore; et nonnulli abſque febre algebant; in pleriſque tamen, in quibus jam patefiebat morbus, ſenſus frigoris potius, ſingulos circuitus, quam tremor verus, comitabatur. Quidam, diebus canicularibus, pedes ad ignem comburebant; neque algor etiam febris tempore ceſſavit, dum ſudore, et pedes, et reliquae partes corporis etiam madebant. Nonnulli ſine calore ſitiebant. Alii abſque ſiti calebant; pleriſque tamen erat ſitis vix explendus. Anne potus hocce deſiderium a ſanguinis aucto circulo? an ab humorum acrimonia pendet? plerique de bile flava horrendum paroxyſmi tempore, fervente praeci-

pue

pue aestate, vomebant; vel saltem cibum fastidiebant. Nausea aliquando intermissionem turbabat; immo etiam, et morbo curato, per tempus, nisi emesi et elix. vitrioli discussam, infestantem nonnunquam vidi.

Julio exeunte, et per totum Augustum, accessiones erant solito longiores, et magis violentae quam unquam aliàs videre contigit; et nullo tempore tam atrocem tamque longam κεφαλαιην inveni. Haec aliquando per plures dies, antequam febris invasit, erat molesta, immo saepe postquam et horror et aestus febrilis planè desierant, turbas per vices ciebat, vel constante tenore (quod rariùs) ad hebdomadas, in iis praesertim qui nimis sudaverant, durabat. [Quinque hujús constitutionis elapsae erant septimanae, antequam in turma (*Cope*'s dicta) narrante clariss. Home hoc symptoma apparuit; unde hoc?] Hic capitis dolor, vel a levissima causa, insignes habebat exacerbationes; febrilis accessionis tempore, erat pessimus, tunc neque strepitum, neque luminis splendorem, neque motum vel minimum corporis, nisi in solo aequali, tolerare possent. Illis arteriae, per tempora et frontem distributae, fortiter vibrabant. Alii quasi se malleo percuti arbitrabantur. Alii caput

contundi

contundi, diſtendique ſentiebant. Aliis dolor lancinans, per media tempora tranſire videbatur. Aliis oculorum radices graviter dolebant, cum ophthalmia. Hiſce omnibus, magnâ copiâ ſaepe per nares effluebat ſanguis. Neque tamen ſanguis detractus in omnibus malum eradicabat. Hos aſſidua fere urgebat agrypnia, opiatis haud domanda, ſed inde potius in inſipientiam verſa. Quando ſemel terga dare coepit, in vertiginem valde inquietam abiit, et tunc urina, quae prius tenuis et inodora, et ſedimentum depoſuit, et grave olebat. Quidam phrenitide laboravit.

Lumborum dolor, et hac tempeſtate erat aeque frequens ac κεφαλαλγία, ſed curatu facilior; primam lumborum vertebram ad latus dextrum praecipuè affligebat, ut neque ſedere, neque pro illo corpus erectum tenere poſſent. Erat hocce ſymptoma in initio longè intenſius, et tunc ſaepe intermiſſionem turbabat. Icterum hinc excitatum hoc tempore bis vidi, qui facilè remediis cedebat.

Pustulae et hac tempeſtate ſaepe erumpebant; * paroxyſmus quo progrediebantur, illis

† Puſtulae in initio erumpentes tertianae Balearicae, febrem periculoſam et diuturnam, in declinatione verò, citò finituram portendebant. Vid. clariſſ. Cleghorn c. 3.

illis levabatur. Quibuſdam verò maculae rubrae purpuraſcentes, cum pruritu exeuntes, vel tubercula effloreſcebant. Haec erant variae magnitudinis, figurae variae, praeſertim rotundae, coloris naturalis, pericranio, brachiis externis et femoribus frequentiora, ſpatia interjecta rubebant; illae vero thoracem et abdominem obducebant, et tunc ſanguinem ſtillantem e naribus vidi. Neque tamen ſemper macularum eruptionem comitabatur pruritus. Tunc gravior morbus, alvi fluxu ſupervenienti ſolùm curandus. Neque ſilentio praetereundum eſt, quod uxori cujuſdam praefecti hoc tempore accidebat. Hujus enim labrum ſuperius, pruritus immanis ſomnum impediens, tempore pluvioſo infeſtior, cum rubore, poſt hujus morbi acceſſiones quaſdam violentas, et cutis fiſſuris aridis invaſit. Nullus aderat partium tumor. Ad hunc domandum tam ferum humorem, varia, ſed incaſſùm omnia, tentabam. Pil. alterantes Plummerii per 2 menſes cum decocto lignorum, interjectâ catharſi ſumpſit. Per 2 alios menſes, ſemidrachma pil. mercur. * quotidie,

c. 3. p. 136. Neque longam, neque lethiferam in noſtra, quovis tempore erumpentes praemonſtrabant.

* Pharm. Edin.

quotidie, ſal. nitr. grana decem quater de die, omnique quatriduo ſal. glaub. et polychreſt. q. ſ. ad quatuor vel quinque ſedes movendas, dabantur. Illi omnis caro et ſpiritus interdicebantur. Lacticinia, olera et ſimilia per totum hoc ſpatium edebat. Sed voto neutiquam reſpondebat eventus; quippe quamvis initio miteſcebat morbus, poſtea et pruritus, et caetera pari ſoevitiâ redibant. Quapropter epiſpaſticum acre parti affectae apponebam, Auguſt. 1749. Sed inde malum augebatur: et nunc de ſalute deſperans, ſuaſu illuſt. D. D. Porterfield, ptyaliſmus ad libras duas, nycthymerae ſpatio unguento mercuriali, illi excitabatur. Salivationis tempore, pruritus vix mitior evaſit, quapropter poſt 3 ſeptimanas ptiſanae laxantis uſu, mercurii vires frangebam, et tunc penitus ceſſaverunt ſymptomata. Omnia externè applicata malum augebant; quapropter iis deſcribendis tempus terere non opus eſt. Menſibus aliquot elapſis, a finita ſalivae proritatione, iterum rediit morbus inquietus. Multi eo tempore aquam marinam potam pro variis cutis foeditatibus praedicabant. Et quoniam in caſu difficili ſatius eſt experiri, quam nulla praeſcribere auxilia, omni mane jejuno ventriculo, eam ad quantitatem librae

brae dimidiae potandam ſuaſi. Quid fit? Morbus miteſcit quotidie, mitiorem, ſetaceum ut vocant Chirurgi, occipitio inciſum, et per anni ſpatium unguentis idoneis digeſtum, pruritum, &c. penitus proffligabat A. D. 1752. Dum fluebant catamenia, pruritus non adeo ſaevus. Cujus generis erat hicce humor tam rebellis? Anne cancroſus? * Priora phaenomeno (viz. puſtulae, tubercula &c.) exeunte Julio, et Auguſto praeſertim ineunte, quando valde fervebat aeſtas, ferè ſemper ante, rarò poſt corticem adhibitum in conſpectum prodibant. Anne ergo inter febres malignas referenda? Certe a calida, humidaque aëris conſtitutione, Hippocrates, et qui ejus veſtigia ſecuti ſunt, febres purpuraſcentes deducunt. Multorum corpora morbo finito ſcabie difformata obſervabantur.

Quamvis nullis ferè integra apurexia abſque ſudore ſupervenit; haec per cutis ſpiracula excretio frequenter erat nimia, motu minimo, etiam febre abſente, vel ſomno excitanda. Hinc factum eſt, quod quotidianae diurnae, erant illis quae noctu invadebant, longe infeſtiores. Hoc olim ab Hippocrate notatum video. Hic ſudor, qui rarò in initio

initio erat tantus, per multas ſeptimanas, poſtquam febris aberat, ſaepe durabat. Noctu praeſertim quo debuit invadere morbus, magnâ copiâ manabat, et tunc rarò ſomnus. Sudor hicce acidum quendam, ingratum odorem ſpirabat, naribus acutis facilè ſentiendum; ſaepe induſia flavedine tingebat. Cur ergo ſcribit HOFFMANNUS, * quòd morbi materies, finito paroxyſmo, ſudore non expellitur?

QUAMVIS haec excretio cuticularis erat longè morbi frequentiſſima criſis, aliis viis aliquando morbus curabatur: tertianam bis, ictero curato facilè, ſuperveniente, profligatum vidi; et alterum unius oculi caecitas, calomel. et ſetaceo poſtea victa, ab horrenda febre intermittente liberabat. Haemorrhoidibus et quendam curatum probè memini. Salivâ judicatum nunquam vidi.

INEUNTE Auguſto, flatulentiae ſubitae in ſcrobiculo cordis a paſtu praeſertim infeſtare incipiebant; hae alias abdominis partes inflabant, prae reliquis vero latus ſiniſtrum. Anne a coli flexura ſigmoidea? Aliquando verò et totum abdomen illis diſtendebatur ad inſtar

E tympani.

* Tom. 2. p. 3.

tympani. Ægris tunc ſupinis jacentibus, venter aeque diſtentus, ac durus manebat; neque dum ad latera ſe convertebant, ſtrepitum, quem ὑδατίσμον Graeci appellant, percipiebant. Levior eſt aſcitide, et quod ſignum pathognomonicum, digitus injectus, flatulentiam intus cedentem, ad umbilicum percepit. His erat frequens ructus deſiderium; immò flatulentia parti circumſcripta, vel ructibus vel crepitu ſubito aliquando diſparuit. Tempore paroxyſmi ſaeviùs urgebant, inde vultus ruborem eximium, ſcotomiam, vertiginem, lipothymiam excitata vidi. Anne a compreſſa aorta deſcendente, ut vocatur? Ferè ſemper acerbas longas acceſſiones ſequebatur. Hi flatus ſpirationem aliquando impediebant, coſtas doloribus venaeſectione non diſcutiendis, laceſſentes. Saepe etiam aquâ, flatulentia confundebatur.* His, malum altiores figebat radices. Hoc etiam tempore, ſurae quibuſdam aqua diſtendebantur. Laevia erant, albidula, digiti impreſſionem facilè ferentia. Haec ſymptomata apparuerunt veſpere praeſertim, mane mole multùm imminuta. Si viſcera erant εὐσπλαγχνα, ſi liberè ſpirabant ſupinè jacentes, et

* Vid. Aret. Cappadoc. lib. 2. cap. 1.

et denique ſi ventris inferioris tumor nullus, febrem citò terminaturam praeſagiebant. Hocce verò oedema non tam proſpere ceſſit illis, quorum crura ſclopetis vulnerata fuerant, aut ulceribus chironiis (quod morbi genus militibus familiare,) laborabant.

Hoc etiam tempore, puerperae hâc febre laboranti, leucophlegmatia a lochiis ſuppreſſis ſupervenit. Color illi ex atro viridique permixtus: lac defecit. Brevi poſt, vir primipilarius, ſtaturae procerae, temulentus, poſt 7 acceſſiones violentas, de crurum oedemate quaerebatur, quod paulo poſt aqua, ventrem ad mirum modum diſtendens, cum aſthmate, tuſſi ſiccâ ferinâ, viſus plenitudine, et circulo coeruleo oculos circundante*, ſequebatur. Teſtes illi aquâ copioſa quoque inflabantur, non verò penis, qui a viſu fere occultabatur. Ad medium Aug. quatuor cachectici ſpiritibus ardentibus nimis utentes, de hypochondriorum duritie querebantur. Hi acceſſionibus admodum ſaevis abſque ſudore confecti fuiſſent. His cutis et fauces erant aridae, parum urinae ſed craſſae interim reddebant. Stomachus et caetera organa chylopoietica valde languebant. Facies erat ſublivida, lurida, rarò

tumida.

* Hoc a Graecis ὑδροφθαλμιον dicitur.

tumida. * Nunquam hypochondriorum tumorem, febrem continuam ſequentem, modo tempeſtivè judicabatur, neque diarrhoeae, ſupervenientem obſervabam. Et quod notari debuit, febricula cum ſudore illis expediundis ſemper profuit. Ex 600, quos febre intermittente correptos tractabam hâc tempeſtate, 12 tantùm ſupradictis ſymptomatibus afficiebantur. Agricolae non erant aequè fortunati, quippe in vicinia multos hiſce ſymptomatibus laborantes, quamvis nec medicum, nec remedia adhibebant, moerens vidi. Anne hepata et ſplenes obſtruebantur? † In genere, poſt illa miteſcebat morbus. Saevius veſpere et noctu, et tempore pluvioſo, urgebant. Erant omnes ſegnes, albidi, effoeminati, omnibus ſudor et vomitus difficulter eliciebantur, et pharmaca etiam δραστικότερα facilè ferebant. Sic in genere, quibus naturâ erat alvus ſtricta, in illos crudeliùs praedatus eſt hydrops, et faciliùs

* Haec aquae collectio tam ſubita erat aliquando, ut foeminam (quippe malis ſegnibus aquoſis ſexu virili ſaepius obruuntur,) ex aqua abundante perire decimo die in hac febre cl. Homeo videre contigit. Idem quoque hydropicum poſt remittentem fluxu ventri naturali ab aquoſa colluvie liberatum vidit. p. 26.

† Vide deſcriptionem ſimilis morbi, qui Lugduni Batavorum ſuperiore ſaeculo graſſabatur, a cl. Sylvio in praxi med. concinnatam.

liùs febris recurrebat. Nonnullis infantibus et hoc tempore, maximopere diſtendebatur abdomen; nihilominus tamen acceſſit febris quotidiana per 2 ſeptimanas aliquando ſaeviens. Sed ſi diarrhoea acceſſiones comitabatur, nunquam intumuit venter, et miteſcebat morbus plerumque.

Literae, quas hâc tempeſtate ab chirurgis, amicis meis in exercitu, accepi, mali graſſantis lugubrem dabant deſcriptionem. In quibuſdam equeſtribus legionibus, praecipuè Sylvae Ducis vicinis, 300, immo 400 in quadam, morbo ſimul affligebantur, adeo ut, illis ad ſtationes obeundas, vix numerus ſufficiebat. Et in univerſum per totum exercitum in quavis legione 100 ferè febre opprimebantur. Apud illos, praeſertim equites, plerumque ſub forma febris ardentis, delirio immo phrenitide comitatae, vel quotidianae, facilè in καυσον abeuntis apparuit: excretiones erant ultra modum foetidae, pulſus debilis, gangraenulae, cita mors. Caſum noſtrum plorandum quamvis, cum amicorum ſtatu conferens, felicem habui. Sed proh dolor! et nos citò pejoribus malis conflictabamur. Aug. 22. quatuor milites, qui quotidie per ſeptimanam tum proximè elapſam

ad

ad valetudinarium venerant, quorumque 8 praegressos circuitus nil novi comitabatur; post brevem horripilationem febricitabant, muti, rigidi deveniebant. Oculis plerumque, et ore semiclausis, (quippe aliquando palpebrae erant penitus vel inaequaliter commissae, vel immotae manebant apertae) sudore calido diffluentes, supini, sensu omni privati, jacebant. Ora aliquando rubore diffundebantur; saepius pallor luridus faciem deformabat; manum injectam cutis nunc quasi urebat, nunc algebat quasi; immo unam corporis partem calidam inveni, dum vicina etiam tremore concutiebatur. * Nil per os sumere possent, et dentes plerumque firmabantur quasi. Pulsu, qui erat satis fortis et aequalis in initio, et spiratione, quae non valde interrupta, quod vivebant, tantummodo confirmatus eram. Quid facerem? anxius haerebam, nil profuit sanguis detractus, nil epispastica toto corpori applicata, nil pedum plantis, sinapismi quam acres. Cum vermibus mihi esse agendum suspicatus, clysmata fortiora cum anthelminticis injiciebam; alvus suo officio oblita fuisse videbatur. Decoctum tabaci, cum aliis additis, illam vel semel movere

* Vid. cas. 20.

vere vix ſuffecit. A nonnullis tamen practicis obſervatum erat, quod inſciis praecipue ante mortem elabebantur faeces: in balneum tepidum conjeci, ſed fruſtra. Per horulae ſpatium ſymptomata aliquando miteſcerent, affulſit tunc nobis ſpes, ſed citò omnia recrudeſcebant. Rarò ſpaſmis convellebantur. Hoc modo conflictati omnes 24 Aug. animam placidè exſpirabant. Ejuſdem menſis 28, juvenis quidam, 4 leves circuitus paſſus, et qui ab illis jam 4 dies immunis fuerat, cum ſociis ambulans, iiſdem ſymptomatibus ſubitò correptus, ſupremum triduo poſt obiit diem. Hunc evaſurum ſperabam credulus; quippe poſt epiſpaſtica capiti, cervici, tergori, brachiis, femoribus internis applicata, et oculos aperuit, et reſponſionem dabat. (Alii intermiſſionem perfectam 6, 8 horarum obſervarunt.) Remedia tamen per os ſumere noluit, et quamvis emeticum violens in potu hauſit ignarus, indeque evomuit, nullus tamen inde levabatur. Inſtante fato pulſus adeo tenuis, depreſſus et celer illi devenit, ut numerari nequibat. Non eſt facile dictu, quanto moerore et aegrotantes et nos ſpectaculum hocce affecit. Nulla dabantur ſigna praenuntia, quippe tertianas mites non ſoporoſas

rosas sequebantur. Nil novi, neque in urina, neque in sanguine, neque in symptomatibus praegressis apparebat; neque si data fuissent auguria certa, nobis innotuit prophylaxis, quippe et purgatos et non purgatos, qui corticem sumpserant, et qui non sumpserant, aequaliter corripuit. Hinc nemo sciebat, quin et semetipsum paria symptomata invaderent, et jam omnibus erat perspicuum, quod eluctari non dabatur. Qui sic fato fungebantur, adultâ et robustâ erant aetate, sobrii, armorum studio prae reliquis strenui, sociis et a praefectis valde desiderati. Anne haec catalepsis? Anne verius ριγεα κωματωδεα coac. praenot.?

AD ακμην pervenerat morbus, et jam sciebamus, quod febris quae quotidie ante 30 paroxysmum, quae alternis invadebat diebus ante 15, dum quartanae omnium curatu facillimae ante 10 accessionem ad statum plerumque perveniebant. Neque ideo postremus erat prioribus paroxysmis pejor, quippe aliquando 4 aliquando et 30 praecedentibus longè periculosiorem vidi. Nullus tamen inveniebatur, in quo morbus fausto omine post 7 accessiones finiebat.

QUOTIDIANA febris prae caeteris, in castra continuae augurio tristi, transire videbatur.

Qui

Qui illâ (viz. quotidianâ) laborabant, erant multum ignavi, et animo magis fracti. Hi etiam mucosis sedibus saepe, et torminibus laborabant, tales raro ascitis invasit. Quae duos integros dies intermittebat, eundem fere typum ad finem servabat, nunquam 4 menses durabat. Neque corpus adeo debile fecit, ac quotidiana. Anomala erat saepissimè tertiana. Duplicatas accessiones aliquando sortiebatur, aliquando et per dies cessabat, aliquando et hemitritaeæ larvam inducebat. In omnibus notabam, quod quando semel fugam meditabatur, morbus citò terga dedit. Tunc accessio erat mitior longè, parum lumbis vel capite dolebant, sitis parva, febricula.

Pauci etiam morbo hoc tempore corripiebantur; hic tamen memorare liceat, virum quemdam, lue venereâ inquinatum, quotidie ad libras tres salivam exspuentem, tertianam veram invasisse; huic semper horroris, febrisque tempore ptyalismus deficiebat, manante vero sudore, iterum rediit. Anne febris intermittens a sanguinis lentore pendet? Anne a liquidi nervosi inertia? Cortex adhibitus a febre liberabat, neque inde officiebatur hydrargyrosis. Fatendum tamen est, quod morbus jam ab initio intermittere incipiebat,

F paroxysmi

paroxyſmi erant ſolito breviores, pluresque quartanas obſervare licuit. Appropinquabat hyems, mutatione hacce, mihi animus multum erigebatur; et, mehercle in vado nunc fuiſſet legio noſtra, niſi duo horrida homicidia prope WOENSAL perpetrata, vigiles 50 gregarios omni nocte per compita ambulare coegerant. Hinc multis, qui aliter evaſiſſent, aegritudo denuo accidebat. Noctu quippe tunc plerumque pluebat; hinc vigilum corpora madebant, et pedes permadebant plerumque. At nimio uſu edoctus aſſero, quod nihil citiùs harum febrium recidivas, (alioſque morbos militares,) ac frigus pluvioſum producit. Hinc cl. HOFFMANNUS* harum febrium cauſas a perſpiratione impedita petit. Et ſanè uſu compertum eſt, quòd caecias vel tempus pluvioſum, nebuloſum, paroxyſmos jam longo tempore ſopitos, excitabant. Hoc praecipuè, ſereniſſ. noſtri Regis natalitiis, obſervare licuit. Eo enim die, ingenti pluviâ ſuperveniente, dum preces, uti moris eſt, ſub dio audiebamus, multi, qui jam a febre per menſis ſpatium liberi fuerant, acceſſione denuo tentabantur. Facillimè tamen omnes, recidivas

ad

* Tom. 6. p. 34.

ad 6 vices nonnunquam incurrebant. Fatendum tamen eſt, quod hae morbi reverſiones erant rarò graves, et remediis promptè diſcutiebantur. Ordine tamen redeuntes, quo a WERLHOFF * deſcribuntur, neutiquam notabam. Quartanas enim, et quotidianas alternis fere ſemper hebdomatibus redeuntes vidi, tertianas verò, duas ſeptimanas ceſſantes haud rarò notabam. Hoc tamen verum eſt, quòd recidivae adeo erant plerumque anomalae, ut nullam regulam prognoſticam de illis ſtatuere poſſem. In univerſum, morbo fractis recidivae ſolenniores erant.

Hoc vero tempore, fama in patrium ſolum redeundi, animum moerore afflictis reddidit, omneſque gratâ fiduciâ implebat. Patriam videndi deſiderium, multa dira ſymptomata ſaepe creat; Anne mirum tunc, ſi et nos explorata rei cognitio, tam nocivum coelum relinquendi brevi, malorum patientes reddidit? Hinc factum eſt, quod menſi Novembri, quando naves onerarias in portu WILLIAMSTADT conſcendebamus, e tota noſtra legione 20 tantùm aegrotabant. Et ſanè ſi nobis fuiſſet proſpera navigatio, tempore quo haec ſcribo, aut nulli, aut ſanè pauci (quamvis et praeſidium et tempeſtas febri huic producen-

dae

* p. 151.

dae opportuna * ſunt) morbo hocce laboraviſſent. Sed, eheu! longè aliter res ceſſit, quippe 6 ſeptimanas ventis diſcordibus, in navi detinebamur; et quando vela dabamus, procella horrida per altum incertos jactabat, caſuque tantùm, portum ſubibamus. Hic vero trajectus, cuidam aſcitide et leucophlegmatiâ detento, proſperè ceſſit, quippe e navi egrediebatur ſolus, et fere integer, quamvis quatuor robuſti milites, navem conſcendentem vix ſuſtinere poſſent. Aquae inopia, victus ſiccus, calor navis penetralis, in quo plus quam 500 unà decumbebant, et denique motus multum remediis auxiliabantur. Hìc etiam memorare juvat, quòd trajectus tempore, quendam jam fato functurum videre accerſebar. Illum 3 ſeptimanas detinuerat febris intermittens. Subitò deſcendentem in navis penetrale odor tam calidus, tam foetidus inquinabat, ut memet, foetoris ſatis patientem, fere animo deliquentem fecit. Statim, meo juſſu in aërem apertum vehebatur, morituri imaginem prae ſe ferebat, cutis tantum urebat. Naribus ſalia volatilia aromatica admovi, tempora ſpiritibus fricabam. Paulatim oculos aperuit, rediit arteriarum vibratio, oſcitabat; tunc liquoris peracidi, vulgò *Punch*, cyathum

* PERTHUM.

cyathum amplum devorandum dedi, quibus a lethi faucibus abripiebatur. Annon omnia haec mala ab aëris boni defectu pendebant?

Horrea ampla in parte vici editiore erant nobis hocce anno pro valetudinario; portae semper diû tenebantur apertae, quippe nihil tam citò cubiculi aërem inquinat, et febrem pessimi moris gignit, ac aegrotantum halitus; ergo perquam necesse est, ut illis suppetat aëris puri redintegratio frequens. Hinc nihil adeo periculosum ac valetudinarium nimis angustum, nimisque clausum, quippe illic decumbentes, omni, praesertim verò aestivo tempore, purpura lethalis opprimet.

Anne expedit, ut memorem, quod temporis spatio, quo in navi detinebamur, morbillis 70 laborabant, nullus tamen eorum ad superos migrabat; et hìc ampla satis dabatur videndi occasio, quam magna, in hoc morbo aliàs satis lethifero, prestant venaesectio et liquorum acidorum usus copiosus.

Exscensum ex navi in terram facientes, plus quam 50 febre denuo afficiebantur, quorum multi extremorum usum cum dolore perdiderant. Horum infirmissimos ad Edinam mittere mandata accepimus; longè verò maximam partem, utpote Infirmarium metuentem,

quamvis

quamvis tempeſtas erat valde nivalis, atque aſpera via, nobiſcum in itinere duximus. Horum pleriſque ſupervenit dyſenteria, ligno Braſil. rad. rhab. aquâ calcis aliiſque aſtringentibus, difficulter curanda. Anne haec, a tono fibrarum debilitato, cujus ratio voracitas in terra, pendebat? Anne perſpiratione, frigore intenſo in terra, impeditâ? Quippe in navium penetrali plerumque ſudabant. Hoc tamen uſu conſtabat certo, quod diaphoreſis ad curam egregiè fecit. Anne a pravis humoribus (cujus ratio cibarii genus in navi) et ſic emetica erant valde utilia?

HYEMS ſequens (ſcil. 1749) erat praeter conſuetudinem tepidus, pluvioſus, apertus: aquilo per veris et aeſtatis menſes primos frigidè ſpirabat. Hiſce factum eſt, quod multi, qui nunquam antea in BATAVIA paſſi fuiſſent, morbo, in SCOTIAE etiam montibus corripiebantur: genuinae tamen febris Batavae prae ſe apud pleroſque ſpeciem ferebat. Et reverâ multis exemplis probare poſſum, quòd occultò hic corpori inſidias ſtruens hoſtis per multos menſes iners latere queat.

ATTAMEN vix habeo quòd dicam de hujus anni (1749) febre intermittente. Notare liceat tantùm, quod quotidianae exquiſitae, mane ſemper

ſemper horâ eâdem recurrentes, aliàs a me nunquam obſervatae, hac tempeſtate dabantur; et quod omnes morbi, tunc temporis graſſantes, febrem noſtram quodammodo ſimulabant, vel planè in illam migrabant.

Per totam inſulam increbuit morbus frequentior quam annis ſuperioribus, curationis Batavae ignaris moleſtias multas faceſſens, noſtratibus verò pharmacis faciliùs compeſcendus. Anne ab anni conſtitutione, vel a militum noſtrorum reditu poſt foedus ictum, pendebat morbi frequentia? Anno verò vertente, ne vel unus in legione noſtrâ hujus ſpeciei febre laborabat. Abredoniae (1750) uxorem militis quae, ſtatim ab expoſitione noſtra in terram, ad civitatem iſtam (patriam quippe) ſe contulerat, adhuc febre Batavâ oppreſſam vidi, quamvis huic producendo regio Abredonenſis neutiquam opportuna eſt. Annis 1751, 1752, erat legio noſtra in praeſidiis montanis Scotiae; hujus coeli febris intermittens non eſt morbus: ibi verò et ſcorbutus vera, et dyſenteria noſtrates corripuerunt.

TABULA

TABULA sistens incrementum et diminutionem febris 1748 *singulis hebdomadibus.*

Vet. Styl.		Ægrotantes.	
Jul.	13. - -	34	
	20. - -	42	
	27. - -	86	
Aug.	4. - -	88	
	10. - -	96	
	18. - -	115	
	24. - - -		Quatuor moriebantur.
	25. - -	125	
	31. - -	135	
Sept.	7. - -	122	
	15. - -	114	
	22. - -	120	
	29. - -	81	Quartanae ab initio.
Oct.	6. - -	77	Delirium nullum nunc: intermittens vera ab initio: remittentes rarae.
	13. - -	80	
	20. - -	81	
	27. - -	54	Plures jam quartanarum typum induebant.
Nov.	3. - -	47	
	22. - -	19	Helvoeti vadi in nave.

PER hunc tractum temporis plus quam 250 mulieres, et 70 infantes, febre laborabant.

CAPUT

CAPUT IV.

Prognoſtica quaedam a prioribus deducta.

1. QUO longior intermiſſio, eo curatu facilior; et e contra.*

2. Facile tranſit in febrem continuam, intermittens etiam vernalis quotidiana, facillimè verò tempore aeſtivo calidiori ſaeviens: idem ſaepe accidit funeſtiſſimo eventu, ſi nimis calida pharmaca adhibeantur. Utraque annis 1747, et 1748 ferventi ſaepius notavi.

3. Si natura, nil per ſudores, vel vaſa urinam ſecernentia moliatur, augurii mali eſt.

4. Quando apurexia ab initio perfecta obtinet, facilè plerunque curationem adhibet, niſi genere perverſo medendi, turbatur morbus; ac in univerſum, ſi ex toto quieſcat febris, adeo ut corpus ante alteram acceſſionem integrum fiat, quamvis longior, curari poſſit.

5. Quando abit in continuam febris quartana, plerunque lethalis.

6. Quibus pedes intumeſcunt, et adeſt ingens exſpirationis difficultas, cum faciei plenitudine et pulſu vix percipiendo, illis eſt aqua vel in thorace, vel in pulmonum cellulis, extravaſata. Hic morbus rarò curatur.

 7. Quando

* Vid. caſ. 19.

7. Quando aqua ſubitò a pedibus in corporis cava retrocedit, èaque diſtendit, ſymptoma plerunque lethale, niſi accedat ὑδραγωσις.

8. Si urina pauca, rufa, turbida, cum linguae et faucium ariditate nigra, appetitu proſtrato, partium ſuperiorum contabeſcentia, et flavedine ingrata, adeſſe mortem praeſagit; quam febris aucta, et reſpiratio difficilior, cum delirio accelerant.

9. Maculae lividae, vel ulcera oedematibus ſupervenientia, mala ominantur.

10. Nullos, febre intermittente ſimplice, niſi aetate graviores, et remedia reſpuentes, confectos vidi.

11. Qui nimium gulae (ſuperatâ intermittente) indulgebant, et corpus attenuatum largo, (eoque magis inſalubri) cibo farciebant, promptiſſimè ex illuvie congeſta recidivas, curatu difficiliores, incurrebant.

12. Qui vel nullo, vel minimo corporis exercitio, ſudore madent ſemper, iis ſaepe obſtructiones ſtatim in jecinore fiebant, vel tabe pulmonali, vel maraſmo poſtea, corripiebantur.

13. Sed et deſcriptione quoque patet, hunc morbum fallacem fuiſſe; hinc quamvis omnia laeta appareant, cautè medicus aegrotanti integritatem promittat in tali epidemia.

CAPUT

CAPUT V.

De causis intermittentis praecipuè febris 1748.

PAUCA de febris ingressu, quae epidemicè grassabatur anno 1748, dicturo, non alienum erit in limine monere, quòd non datur in rerum natura, argumentum magis difficile, quam morborum causas ritè eruere. Unde aliter quaeso, foret tam imperfecta medica hodierna theoria, postquam tam multi, tam acri ingenio praediti viri, in ea excolenda elaboraverint? Sic se habet mentis humanae conditio, ut omnes nunquam superabit difficultates: certissimè tamen constat, quod aequa solicitaque morborum consideratio eas multo pauciores reddet.

IN scholis medicis acriùs disputatur, an morbi qui audiunt epidemici, ab aëris secreta diathesi? An a mutatione qualitatum ejus manifesta pendeant? Quamvis non is sum, qui eam inficias, quòd morbi quidam epidemicorum ex classe, ab atmosphaera sensibiliter mutata deduci non possunt, hoc capite conabor argumentis confirmare, plu-

res

res eſſe, in certis regionibus, qui quaſi illarum indigenae naſcuntur et ſaeviunt; hos νȣσηματα επιχωρια apellavit HIPPOCRATES, eorumque plurimos in variis EUROPAE et ASIAE partibus, tam aëris quam terrae atque aquarum quibus utuntur incolae, vitiis genitos, accuratè deſcripſit. Omnia expendere, quae de hac re dici mereantur, non eſt hujus loci conſilium; probare tantum ſuſcipio, quod nimia aëris humiditas, praecipuè quae ſole aeſtivo, a locis paludoſis, arboribus nimis denſis, et inundatione ſiccante excitatur, valdè inſalubris eſt; et ſecundo, quod febris intermittens, talis aëris ac talis regionis, eſt ſoboles genuina.

AER undique telluris ſuperficiei incumbit, eam compingit, corporum omnium penetralia intrat, et in parte componit. Sine aëre animantium vita, immo rerum natura citò fatiſceret. Hic aër, partibus elaſticis, igne, aquâ, exhalationibus, ſoli ratione diverſis, fortè et planetarum aſpectu, et ſtellis ipſis variè mutandis, conſtat, Haec abunde in phyſicis demonſtrantur. Hinc judicandum eſt, quòd atmoſphaerae ſalubritas, in partium ejus componentium portione aequata, conſiſtat;

et

et quando mutatur, et praeter naturam quasi constituitur, quod corpora nostra poenas inde luant, verisimile est. Excessu caloris simpliciter, quam multa et magna oriuntur mala, India occidentalis, et regio sub tropicis nobis indicio sunt: quod nimia humiditas, corpori humano aequè officit, sequentibus patebit. Poros occludit, solida relaxat, fibrarum motricium imminuitur robur; hinc torpet quasi motus sanguinis progressivus, et quantitas secretionum et excretionum imminuitur; * hinc lassitudo, debilitas, appetitus prostratus, ponderis sensatio ab accumulatis acribus humoribus; inde in putredinem dispositio, animae et phantasiae imminuta vivacitas; hinc crasso sub aëre nati pro pingui ingenio habiti sunt. Optimè ergo statuit Hippocrates † ex anni constitutionibus, siccitates in summa, pluviosis salubriores esse; et iterum, ‡ a pluviarum multitudine deducit febres longas, alvi fluxiones, putredines, comitiales morbos, anginas. Galenus etiam || de tempestatibus scribit, annum plus justo humidum, pestis (vel potius morbi contagiosi) esse praenuntium. Hoc confirmatur hist. Frederici imperat,

* Vid. Sanctor, et Keill.

† § 3. aph. 15. ‡ Aph. 12. || Cap. 4.

perat. Eo enim regnante, an. 1227, horrenda adeo peſtis excitabatur, ut vix 10 quiſque evaſerit, TIBERIS inundatione pluviarum multitudine ortâ. Idem WAGNERUS teſtatur in chronol. ſua anni 801 ſub dominatione IRENES imperatricis Conſtantinopolitanae, poſt humidam aëris conſtitutionem, multos, ſaeviſſimâ et in GALLIA et in GERMANIA (praeſert. circa RHENI ripas) peſte, orco fuiſſe datos. Idem confirmatum video auctore libri ſecundi epidemicorum; in CRANONE enim, ex auſtrina aëris temperie, (quae in GRAECIA pluvioſa et calida eſt) primùm ichores, et puſtulas multas, poſtea et carbunculos propullulantes, obſervabat. * Poſſem multa alia argumenta addere, ſed hiſce, ni fallor, abundè patet, quòd nimia humiditas corpori noceat. Reſtat confirmandum, quòd quae ſole aeſtivo excitatur, longe eſt nocentiſſima. Quoniam aër eſt chaos univerſale, et in ſe recipit (ne vel ipſis metallis exceptis) omnium corporum ſpeciem, poteſt mille modis inquinari, poteſt ſic corpori animato mille modis obeſſe, utpote ſuperficiei ubique incumbens, utpote pulmones intrans, inflans et

* Vid. cl. Huxham. anni 1735. obſ. de aëre.

et denique cum cibariis deglutitus; anne per alias vias ingredi poteſt?

Aqua per ſe, corruptionis ſanè expers eſt, quippe ſi pura et dulcis, e venis proſiliens, ilico vaſe vitreo excipiatur et hermeticè, ut aiunt, claudatur, impedito cum atmoſphaera omni commercio, ad annos, immo fere ad perpetuum ſervari poteſt. * Ergo putredinis cauſa eadem extrinſecus accidit. Haec autem externa atque corruptionis materialis cauſa eſt, heterogenia, ſalium diverſorum corporum, quâ mineralium, quâ vegetabilium, inſectorumque commixtio, quae in deſidibus lymphis fit. Sed nulla in aquis futura eſſet corruptio, niſi aeſtivi ſolis calor, et laticum quies, eandem promoverent; ſole enim in aquas quieſcentes agente, in terrarum, ſaliumque inquinamenta, in herbas fraceſcentes (quae in paludibus ſunt plerumque naturae cauſticae) † in animalium cadavera, et denique in eorum et inſectorum (qui in ſtagnis ſemper numeroſi) ſordes exuviaſque, ſolutione, confuſione, olea magis rancida, ſalia acriora, utraque tenuiora, aëre leviora redduntur. Hinc atmoſphaera talium locorum, hiſce

* Vid. Lancis. de noxiis palud. effl. lib. I. p. 142.

† Vid. Hoffm.

hiſce putridis humidis particulis abundat; et ſalia calore (quae niſi ſoluta inertia ſunt) et humiditate ſolvuntur. Sed calor, humiditas, quies, ſunt ſeptica univerſè.

QUOD ſol aeſtivus ſit praecipua cauſa putredinis paludum hinc patet; quòd, quamvis hyeme eadem fere omnia in paludibus jaceant, tamen nihil ex illis, niſi ad aeſtivi caloris initium, fere pertimeſcendum; immo inter media aeſtatis tempora, in regionibus ad ſeptentrionem rigentibus, vel locis ſubterraneis, vel montium objectu utcunque a ſole protectis, aut nulla, aut minima fit aquae aërisque corruptela; ut paſſim, in puteis ciſterniſque diligenter cuſtoditis, accidere animadvertimus. E contra regiones paludoſae, quo propius ad ſolem accedunt, quo magis fervido Auſtro patefiunt, eo nocentiores, et generi humano infeſtiores evadunt. Sint mihi teſtimonia CAROLINAE provinciae et VIRGINIAE in AMERICA, in AFRICA, ALEXANDRIA et CAIRUS. Idem accidit in multis EUROPAE partibus, ubi cauſae eaedem exiſtunt, praecipue vèro, quando ſol aeſtivùs ultra modum intenditur. Notat FORESTUS, * quòd civitas Delphinſis inſalubris ſit, quoniam loco profundiori ſita eſt. Aquas

* Lib. 6.

Aquas non currentes habet, foſſis anguſtis, per quas moventur, inſtructa: hinc fit, quòd aquae ſtagnent, aeſtivo imprimis tempore; hinc ſubcanalicula putreſcunt, et effluvia, quae a praetereuntibus ſentiuntur, emittunt, adeo ut, fere ſingulis 10 annis praeterlapſis, vel peſte, vel febribus peſtilentialibus afficiantur incolae. Contrarium huic exemplum in Lancisio invenimus. Urbs Piſaurum, de qua Catullus olim dixerat, Sedes moribunda Piſauri, hodie et ſalubris et magnifica a lacunis exſiccatis. Selinuntinos oppreſſerat lues atrox, circumalluentis fluvii vitio et putore. Empedocles divino ingenio vir duos vicinos amnes in hunc derivari juſſit, quo pacto, concitato flumine, et purgato alveo, dulceſcebant paulatim aquae, et graſſari deſiit peſtis. Eodem modo exſiccatio inundationum aquarum valde pernicioſa eſt. Scribit Dapper in deſcriptione Africae, peſtim nunquam in Ægypto oriri, niſi Nilus nimium increſcat, totaſque inundet regiones: quia, addit hic, quando aqua Nili ſtagnat ſupra terram, tota illa paludoſa fit, et, accedentibus ventis auſtralibus, aeſtu nimio putridus fit aër. Sic et omnibus notum eſt, qui per tempus in Carolinae provincia habitaverint, quod tempeſtas, quâ campi oryzâ

ſati, aquâ (quâ ad maturam ſegetem obruuntur) exſiccari incipiunt, totius anni longè eſt nocentiſſima. VEGETIUS * olim notabat morbum perniciosiſſimum, milites prope exſiccationes caſtra metatos, depopulantem, non aliter niſi frequenti caſtrorum mutatione prohibendum. Hujus notabile inveni exemplum in obſidione Neapolis, anno 1528; quippe cum Loſtrecius, Gallici exercitus imperator, poſt exciſos aquaeductus, movere noluiſſet caſtra, morbo conficiebantur legiones †.

NUNC probare conabor, quòd febris intermittens talis aëris, ac talis regionis, eſt ſoboles genuina; et quòd, quo calidior aeſtas, eo morbus deterior. Febres intermittentes epidemicas, a nimia pluvia, et hac ſtagnatione facta, RAMMAZZINUS experientiâ et judicio aequè celebris ‡ obſervabat; quippe in illis locis ubi diu ſtagnârant aquae, magna febrium ſeges fuit obſervata, imprimis tertianae rebelles indiſcriminatim homines cujuſcunque aetatis, ſexus, et vitae generis, corripientes. SENNERTUS || notat, febres peſſimas intermittentes, quando

* De re milit. lib. iii. cap. 2.

† Vide Summontium, cap. 2. d'ella hiſt. d'ella citta et regno di Napoli, p. 61. Vide etiam Varron. lib. 1. cap. 12. Columell. lib. 1. cap. 5. Pallad. lib. 1. cap. 7.

‡ In Ephem. nat. curioſ. ann. 9.

|| Tom. 2. p. 24.

quando aeſtas praeter morem calida praeceſſerit. Quod anno 1606, nec non anno 1652, obſervaverat Bartholinus, egregius Haffniae profeſſor *. Et Hoffmannus, ann. 1684, 1719, 26, 28. Idem obſervabat Cl. Van Swieten, ann. 1719, Leidae †; et expertiſſimus Huxham Plimuthi, ann. 1734, 35, Idem ergo a fortiori obtinebit in regionibus naturâ vel arte humidioribus. Idem et propriâ experientiâ edocti eramus; quippe quo paludoſior legionum ſedes, eo morbus deterior, eo plures correpti. Et obſervabat Ramazzinus, quod febris intermittens omni tempore magis vexat agreſtes, et in planitie degentes, quam oppidanos ‡.

Ex his ergo omnibus palam erit, quod ubi naturâ coelum humiditate repletur, quam inundationes, et arborum vapores augent; ubi praeter conſuetudinem fervet aeſtas, et aëri libera circulatio, arboribus nimis denſis, denegatur; palam erit, inquam, quod ibi peſſimae febres intermittentes metuendae ſunt. Quas ab his cauſis ſubit atmoſphaera mutationes,

* Cent. Hiſt. anat. p. 95.

† Vid. comment. ad aphoriſm.

‡ Oper. med. Lond. p. 87. Immo, et hoc quoque tempore, cl. Home, aegrotantium numerum, aëris humiditati ab hygrometro menſuratae, liquido reſpondiſſe obſervavit. Vid. Differt. p. 19.

mutationes, fortaſſe non tam in promptu eſt dicere; probabile tamen eſt, quòd in aëre tali generantur, indole diverſa, a quocunque nobis cognito concreta, * noſtro corpori nocentia. Certum eſt, quod foetore ſqualet talis atmoſphaera; ſed foetor pendet ab oleis rancidis. &c. Certum eſt, quod elater aëris, (quod animae noſtrae fulcimentum) heterogenearum particularum interjectione, imminuitur, et denique craſis et conſiſtentia turbatur, quippe quae craſſior evadit, ac innumeris admixtis, contemeratur. Ecce morborum ferax proventus. † Sed omnes hae cauſae ‡ in noſtra obtinebant. Ergo non mirum eſt, quòd tam ſaeva oborta eſt febris, et quod plurimi ſub illa decedebant. Ergo a victu pendere non poterat; ut quidam praxin exercentes in exercitu ſtatuebant.

ANNE TUNC EST HICCE MORBUS E GENERE PUTRIDORUM? SANE CALOR, HUMIDITAS ET AER STAGNANS UNIVERSE IN PUTREDINEM ANIMALIA RESOLVUNT.

PARS

* Vid. Hoffm. et Boerh. chem. de rore venenato.

† Vid. Ramazzin de rubigine, conſt. epid. ruralis oper. med. Lond. ‡ Vid. def. 1748.

PARS SECUNDA.

CURATIO.

ADUMBRATA ſic pro virili morbi hujus ſpecie multiformi, verſatili, et cognitis indiciis, quae nos vel ſpe conſolentur, vel metu terreant, et denique expeditâ utcunque cauſâ, ſingulorum ſymptomatum remedia ordine debito jam exequi conabor. De febre continua primo tractandum.

CAPUT I.

De febris continuae curatione 1746.

QUONIAM verò pro febre ardenti venam ſecare, et potationes tepidas cum ſal. neutr. &c. miſtas, manu non parcâ ingerere mos eſt, hiſce dicendis, tempus terere, animus non eſt. Addendum tamen eſt, quod haec per ſanguinem miſſum evacuatio, nullo habito dierum judicio, pro ſymptomatum violentia, et viribus febricitantis, quocunque morbi tempore, repetebatur. Uſu tamen conſtabat, quòd minor ſanguinis copia, hirudinibus

dinibus tempori applicatis, educta, tum capitis dolori ſedando, cum febri mitigandae, profuit magis, quam venaeſectio in brachio inſtituta, immo ad vices repetita anno 1746. Anno verò 1748, efficaciùs applicabantur ſanguiſugae, poſt venaeſectionem, jugulo, vel brachii vel pedum venis.

Ad nauſeam ſedandam, quae pleroſque infeſtabat, rad. ipecac. erat medicina: et in genere emeſin in febribus militaribus citò ſatis datam, proficientem ferè ſemper inveni: quibus erat venter deſidioſus, enema laxans, refrigerans, quotidie injiciebatur.

Si verò per haec parum profectum eſt, quippe aliquando hiſce vacuantibus febris ex toto deſiit, et morbi materies (ut amat loqui ſcriptorum chorus) cerebrum appetere videbatur, ad epiſpaſtica, nec fruſtra, confugi. Delirium quod alias febres comitabatur, veſicantibus capiti raſo applicatis, ſaepiſſimè in fugas dederam. Hocce verò autumno, mentem ſibi pleniùs conſtare, et febrem citiùs ſolvi, epiſpaſticis femoribus et tibiis internis accommodatis, deprehendi. Morbum hunc terga vertentem, cibo eupepto, analeptico proſequi, tempus monebat. Sed unde forent militi, in externis oris merenti, hujus generis

edulia?

edulia? His addatur, quòd, quoniam maxima militum pars tam parum de vitae inſtituto ſolicita eſt, frigori matutino, et veſpertinis humiditatibus ſeſe exponens, ſpiritus ardentes diglutiens &c. non mirabitur lector, quod nonnulli, iterum ſic febre, more eodem tractandâ, corripiebantur, et quod omnes, integritas tarde redeuns firmabat. Hiſce quoque dabam decoctum febrifugum ph. pro uſu noſ. Brit. juſſû ſereniſſ. Prin. CUMBRIAE Ducis, concinnatae. Idem cum ſucceſſu, quando febris potius remittebat, vel quando in caſtra continuae ex intermiſſione tranſierat, uſurpabatur; et tunc quoque, ſinapiſmi, infirmiorum ſaltem extremitatibus, applicabantur.

INTERPOSITO brevi ſpatio, proprium typum induebat; ſed, quoniam methodus medendi, non multum ab illa, quam in vernalibus uſurpabam, abludebat, de hac poſtea dicetur. Brumali verò tempore, cortici Peruviano, theriacam ANDROMACHI, &c. aſſociabam. Talibus enim nuptus alexipharmacis, in tali regione et tali tempeſtate, majori cum euphoria exhibetur. Immo experientiâ edoctus ſum, qùod pharmacis hiſce (abſque cortice) paroxyſmi brumales valde ſaevi profligantur penitus

ſaepe.

ſaepe. Neque ſilentio praetereundum eſt, qùod in Noſocomio decumbentibus, cyathum ſpiritus e bacc. junip. et amaris aliis eliciti, quotidie mane propinari curabam. Allium, aëre humido, faetido, quo nihil praeſtantius, illis edendum dabam mane & veſpere.

CAPUT II.

Curatio febris Vernalis 1747.

ET hîc in limine, non erit alienum monere, qùod, quodcunque ſymptoma paroxyſmos vel praeibat, vel comitabatur, id, remedia ſibi propria, requirere. Illa quoniam plerumque ex claſſe inflammatoria erant, et mihi erat agendum, cum florentibus aetate, atque plethoricis, facilè conjiciet in arte medica vel parum verſatus, quod ſanguinis miſſio, hiſce omnibus ſublevandis, immo pleriſque amovendis, accommodata erat. Dum ſal nitri, vel ammon. crudum parvis doſibus exhibita, frequenter in poculis, immunes ab illis tandem planè reddiderunt.

A. *De Venaesectione.*

Hisce demum patefacto morbo, paroxysmos sic aggrediebar.

1. In apyrexia post febrem, utcunque mitem, venaesectione semel, aliquando bis, in plethoricis vegetis, robustis, vino spiritibusve assuetis, ad iram pronis, nullis vacuantibus aliàs debilitatis, usus sum.

2. Quibus in paroxysmo, aliàs miti, vel eo finito, hebetudo, somnolentia, (quae quotidianae symptoma praecipuum est) cum pulsu duriusculo, sanguis detractus profuit.

3. Quando febrilis paroxysmus, ad 2 vel 3 dies lacessens, ultra modum saeviebat, cum siti intensa, cutis calore arido, saepe triginta uncias detraxi antequam sudor dimanans, accessionem judicabat; quando remissio notabilis, minor quantitas utcunque requirebatur. Cur tunc cl. Hoffmannus * adeò damnat omnes evacuationes, in accessione, vel mox ante ipsam? Sic cum judicio institutam venaesectionem nunquam morbum protrahentem vidi.

4. Nec minori cum fructu usurpabatur, in quibus, tempore febris (lenis utcunque) atrox dolor gravativus, vel caput, vel costas lancinans in-

* Tom. 2. p. 16.

infestabat; et si iidem dolores, febriculâ absente, durabant, hac tempestate phlebotomiâ unicè amovebam: Autumno verò, 1748, pro cephalaea, quae erat longe acerbissima, venaesectionem etiam repetitam, et temporibus colloq. celebratam, minus secundam inveni. Levamento quidem semper fuit, sed in quodam robusto milite decies instituta, malum non curabat; quòd epispasticum vertebris cervicalibus applicatum, et setaceum absolvebant. Hac experientiâ monitus, si venaesectio tertiò vel quartò celebrata minus prospere cessit, vesicatorium capiti raso, vel (quod voto pleniùs respondebat) cervici, ad situm arteriae cervicalis admovi *. Hoc modo, bullis copiosis excitatis, spatio 48 hor. malum plerumque discutiebatur. Ad recidivam praecavendam, cum unguento epispastico ad linteum opposito, quotidie curabam. Si vero per hoc parum (quod rarissimè accidebat) profectum est, ad setaceum in collo incisum confugi. Pediluviis semper mitescebat: sinapismi aliquando curabant †.

5. SPIRATIONI impeditae et fervidae, cum praecordiorum angustiis quamvis, sanguis detractus,

* Nunquam parva epispastica temporibus admovi, quibus tam mira praestitit laudatus saepe Home. Vid. Dissert. p. 25.

† Vid. cas. postrem.

tractus apprimè utilis. Epiſpaſtica thoraci applicata, (quando praeſertim lentor ſanguinis attenuari incipiebat), et ſal c. c. in poculis exhibitum, ſymptomata abigebant. Quando dolor a flatibus ortum duxit, quod aliquando evenit, venaeſectio inutilis, ſed ſal c. c. profuit. Pulſu, febre, doloris ſede dignoſcitur.

6. Pro dolore rheumatico phlogiſtico, omnes fere medici venaeſectionem commendant: huic auxilium fert ſal nit. &c. Quando jam inveteratus dolor, ſanguinis miſſio omittenda. Paroxyſmi inſequentes frequenter obſtructiones expediunt; hujus enim curatio eſt febris quodammodo ſuſcitata.

7. Quando verò cerebrum ingruentis mala indicia ferebat, vel planè afficiebatur, ſanguinis miſſioni auxiliabantur epiſpaſtica *. Utuntur in India occidentali praxin exercentes, liquore peracido, ſpirituoſo, tenui, vulgò *Punch*, quando etiam delirant aegri. Pro hepatide, quae, ſi genuina, certè rariſſima, ſpuria verò, frequentiſſima, venaeſectio, et ſpir. nitr. dulc. cum ſal. neutral. et camphorâ, apprimè conveniunt: neque minoris eſt uſus in imi ventris doloribus, ſedibus cruentis, &c.

8. Quibus

* Vid. feb. cont.

8. Quibus poſt febrem ſupprimitur evacuatio quaevis critica, cum pulſu duriuſculo, et plethorae ſignis, utilis phlebotomia.

9. Ubi intermiſſio non erat perfecta, venam ſecabam pro viribus aegrotantis.

10. His addunt ſcriptores medici, quod gravidae, hoc morbo laborantes, ſanguinis miſſionem non tantum facile ferunt, ſed poſcunt *: quippe ſicuti illis (utpote plethoricis uſitatè) ad praecavendum abortum, perneceſſarium eſt venam tundere, ita majori debeat eſſe ex uſu, quando febri ſanguis rareſit, et motus ejus intenditur. Hoc poſtea experientiâ confirmare luculentâ ſatis occaſio dabatur, Aut. 1748 †.

Ante deſeram quam praeſens argumentum, hìc lubet adjicere quae obſervabantur in ſectione cadaverum, febri intermittente, omnino huic noſtrae ſimili, quae Balneo-Regii (in Italia) ann. 1707 graſſabatur, occiſorum. In hac febre tractanda, adverſabatur Lancisius venaeſectioni, quanquam ſaepe feliciſſime per haemorrhagias ſolvebatur. Sinus minores durae matris ſanguine craſſo turgebant: in aliis, polypi a ſinubus durae matris ad ventriculos cordis ſeſe extendebant: in alio nigreſcebant pia

* Vid. Fred: Hoffman. Tom. 2. p. 27.

† In omni ſanguinis lentore phlogiſtico convenit ſp. Mind.

pia et dura mater, ſubſiſtente cruore in vaſibus propriis, et ſinubus ad lb. 2 fere, notante JOSEPHO MARIA FLASCI *. Cur LANCISIUS, HOFFMANNUS, BAGLIVIUS, SYDENHAMUS, adeo in hac febre venaeſectioni infeſti ſunt? Certe ego, hiſce prioribus ſymptomatibus † ſanguinis profluvium ſponte excitatum ſubveniens ſaepe vidi. Venaeſectio non adhibebatur in febri intermittente BRUGIS graſſante, poſt adventum in FLANDRIAM; cujus neglectu interierunt fere omnes qui illâ corripiebantur: neque neceſſarium eſt, primarum viarum repurgationem, antequam venaeſectio celebratur, praemittere ‡. Cur ergo STAHLIUS aſſerit, venaeſectionem, in omnibus febribus acutis, benignis, malignis, exanthematicis, nunquam eſſe neceſſariam, immo fere ſemper noxiam ||.

NEQUE tamen omnibus indiſcriminatim, haecce evacuatio eſt adhibenda: 1. In aetate provectioribus: 2. Qui tenuiori temperamento ſunt

* Vid. Lanciſ. p. 218. de noxiis paludum effluviis. Vid. etiam plura hujuſmodi exempla, Bonet. ſepulchret. anat. lib. 4. ſect. 1.

† Vid. 2. 3. &c.

‡ Hoffmannus, Tom. 2. p. 17.

|| Diſſert. de venaeſectione in morb. acut.

ſunt, cum parvis venis : 3. Qui debiles vel naturâ, vel morbis, vel evacuationibus praegreſſis, vel ſubito cum vultus mutato colore : 4. Qui habitu obeſo, phlegmatico, ad morbos aquoſos proclives ſunt ; vel quorum ſanguis jam nimis ſolvitur : et 5. denique, ubi apyrexia perfecta, ſanguinis miſſio, ſaltem ad vices repetita, nocebat. Liceat horum veritatem, (quippe in omnibus eadem fere ratio obtinet) exemplo haud injucundo comprobare. Miles quidam, 42 an. agens, a febre intermittente convaleſcebat anno 1747 ; menſe Maio, quando ad vicum Meldart caſtra metata ſunt, ſolicitabatur amoenitate lacus vicini, corpus nudum in aquas immergere, (hoc exercitii genus ab antiquis, et ad curanda et praecavenda mala uſurpabatur, et ſanè ad roborandas fibras, finiente hoc morbo, utiliſſimum inveni) citò tamen lavationis poenituit, quippe, momento temporis, ſanguiſugarum legio fere, tibiae utrique adhaeſerat. Clamore horrido ſaltans ripam petit. Ventres avidos ſanguine proprio farcire, non erat illi animus ; ſugentes quapropter adeo violenter a cruribus detraxit, ut antequam minutula ora vaſorum claudere poſſem, ultra jam ſanguinis libram perdiderat. Infortunium non tamen, ſangui-

ne

ne perdito, cessabat, quippe aurorâ sequente rediit paroxysmus, qui quamvis sat mitis, post 8 accessiones cursum finiens, mensibus 4 integer vix factus est misellus.

N. B. IDEM aliàs observare licuit, in quibus fascia, minus commode applicata ad brachium in venaesectione, nocturno tempore laxaverat.

LICEAT hic annectere memorabilem historiam ex HOLTERHOFF de erroribus medicorum desumptam. FERDINANDI Regis frater Cardinalis TOLETANUS, 89 diebus, tertianâ agitatus, obiit aetatis 32 anno, et toties tamen in eo venaesectio iterata fuit, ut, aperto cadavere, et sublatis corde, hepate, et pulmone, dissectis venis et arteriis, vix cochleare sanguinis in cavum thoracis confluxerit.

N. B. ALIQUANDO tamen fit, quòd et levari corpus debet, et ex vena sanguinem mitti vires non patiuntur; applicenter tunc parti dolenti vel sanguisugae, vel cucurbitulae; idque auxilium, ut minus vehemens, ita magis tutum, nunquam fere periculosum est; etiamsi (monente CELSO) in medio febris impetu adhibeatur.

B. *Emetica.*

Vasibus ſic depletis, et dolore utcunque pacato, ad emetica (quae medendi ratio, multis morbis levandis, praecipuè huic noſtro accommodata, ab omni retro antiquitate exſtat) confugi: neque ſolum oris amaritiei, praecordiorum tenſioni, halitui foetido, ructibus, cibi faſtidio, nauſeae et inde pendenti lipothymiae, ſedandis, contulit vomitorium; vomitorio, ſaepe horripilationem, quae ab auctoribus, hujus morbi ſtatus aeſtimatur periculoſus, penitus extinctam; febrilem ardorem mitigatum, delirium pacatum et ſudores copioſè elicitos; et repetitis, totum paroxyſmum, immo morbum protinus fugatum viderim. Sed quoniam multi, de his multum ſcripſerunt, et argumentum nil novi habet, ſummatim tantùm narrabo effectus, quos edunt in corpus humanum. Illis, omne quod intus in ſtomacho, &c. haereat, excutitur, omne quòd viſcidum attenuatur, et ſtagnans, inprimis in imo ventre, in motum agitur. Sic oſcula vaſorum chylum, liquoreſque inteſtinales abſorbentium, reſerantur, ſanguinis gyrus acceleratur, (hoc a Robinsono contra

omnium medicorum placita denegatur) et denique partium ſolidarum elater intenditur; hinc obſtructiones, quae in epidemica autumnali tam frequentes, et tam curatu difficiles, vel penitus praecaventur, vel ſi recens radices tantùm egerint, curantur; et hinc, non ſolum facilior aditus patebat cortici; ſed et quando febrifugum minus proſpere ceſſit, emeticis debitâ diſtantiâ interpoſitis corticis vires adaugebam. GALENUS method. medend. ad GLAUCON. * obſervat, quòd vomitus, quibus febris inveteraverit, multum utilis eſt, et notat, multos a febre tertiana ſic fuiſſe ſanatos †.

APUD omnes fere ſcriptores ‡ medicos in febre hâc, δραστικοτερα commendantur; et erat

* Caput 9. Chart. tom. 10. p. 356.

† In tertiana Balearica a ſecante cl. Cleghorn lienis illâ interemptorum ſemper praeter naturam magni, 4 vel 5 librarum pondus nonnunquam aequantes, et tam molles, et putridi (*rotten*) ut potius ſanguinis congelati membranâ involuti, quam organi veri prae ſe ferebant ſpeciem, inveniebantur. In his caſibus non adeo convenirent emetica. Vid. p. 165.

‡ Hippocrates mandragoram et helleborum album praecipit. Vid. Albin. diſſert. in qua tractat de cicutae uſu. Vid. quoque Friccium de virtutibus venenorum medicatis.

rat mihi mos, quando me prius ad earum curam accingebam, placitis medicis, hac in re obtemperare. Uſu multiplici edoctus, quia inde febrem ſaepe in pejorem verſam, et delirium excitatum notabam, lenioribus nunc utor. Stibiata, et arſenicalia praeſcribant alii, (quae horrens ipſe uſurpata viderim,) rad. ipecacuanhae, omnibus antepono; vel ſi quid fortiùs, caſû deſideratur, tart. emeticum illâ commiſtum, vel in oxymel. ſcillitico ſolutum, punctum fert omne. CELSUS potui dabat aquam tepidam ſubſalſam, ad cogendum vomitum: * et ſanè ſi conſideremus, quae vulgò, illo tempore, ad vomitum ciendum, uſurpabantur a medicis, apparebit liquidò, quòd mitiſſima tantum emetica, illi, hoc in morbo arridebant. A nobis etiam ſtat cl. HOFFMANNUS. Ille etenim tradit, purgantes fortes vel ſupra vel infra ſemper in epidemicis graſſantibus nocere. † Sed quoniam quartanarii difficulter vomunt, ut et hydropici, his fortiora conveniunt. Calidorum climatum incolae, quia illis eſt valde ſenſilis ſtomachus, facilè ad vomitum excitantur; et in genere omnes lenioribus ad vomitum provocantur

* Lib. 3. cap. 12.

† Tom. 2. p. 40.

provocantur in calida quam in humida tempestate. Anne est, quòd fibrillae nervosae humiditate laxantur? Anne est potius quòd spiritus animales vel nervosi tali humido obvolvuntur, et quasi inviscantur? Quamvis omnes fere praedicant vomitoria, inter se tamen dissentiunt medici, quo praecipuè tempore propinari debeant. Emetica omni intervallo saepe dederim, testare tamen possum certâ et exploratâ fide, quòd cum primùm aliquis inhorruit vel ex horrore incaluit (ut CELSUS vult) et tunc datur, cum maxima euphoriâ, vomitum ciens medicamentum. Hoc enim tempore, maximè fluxilis est materia morbosa, quâ excussâ, paroxysmus fere semper levatur, et sic apyrexiam, quae corpori reficiundo adeo necessaria est, totam, cibariis destinare possimus. Post vomitum et finitâ febre, si stomachus infirmus est, paulum cibi (monente CELSO) sed hujus idonei gustandum, et aquae frigidae cyathi tres bibendi sunt, * cum pauxillo vin. austeri.

ALIQUANDO tamen accidebat, quòd stomachus, omnes potiones praesertim tepidas, fastidiosus, utcunque dabantur, rejecit. Hancce vomitionem, anxietas, aegritudo, aestus, strictura

* Vid. lib. 1. p. 30.

ſtrictura ventriculi, tormina, inflatio plerumque comitabantur. Sed niſi haec ſedantur, conclamatum eſt. Si pulſus erat plenus, duriuſculus, et ſtomachi ora ardebant, venam ſecabam, liquorem *d'orgeat*, &c. cum nitri parva quantitate propinans: quibus verò pulſus tactû vix percipiendus, et ſpiritus ſaepe deficiebant, cum facie hippocratica, ſudore frigido, membrorumque extremorum algore, illis tulerunt egregiam opem miſtur. antiemet. RIVERII cum laud. liquid. SYDENHAMI, et elixir. vitriol addito oleo menth. * idoneis vicibus data. Profuit et claretum cum cort. cinn. &c. infuſum. Ventriculo ſedando, multum prodeſt corpus erectum, ſed inde ſyncope augebatur, quam, naribus admota ſalia volatilia praecavebant. Omnes ita affectos magnum potionis deſiderium urgebat, huic indulgere fas non erat, et non indulſiſſe, tortoris vicem, non opificis exhibere fuiſſet; quam ob rem, fauces quae illis foetebant, ſucco limonii, aceto in ore retento, dum ventriculus aquâ frigidiſſimâ cochleatim propinatâ reficiebatur; neque facilè eſt dictû, quantum tum ſiti ſedandae, cum ventriculo, primiſque viis roborandis, contulit potatio frigida.

NEQUE

* Phar. Lond.

Neque quiſquam hìc mihi vitio vertat, quaſi temerarie novis rebus ſtudebam; aquam frigidam in multis morbis a medicinae parentibus uſurpatam video. Hoc, cuivis monumenta eorum legenti, facilè patebit. Hippocrates, * in febre biliosa, quae quotidie invadit, et os amarum, et vomitio junguntur, horâ, quâ febris invaſura, pleniſſimam aquam frigidam bibere ſuadet. Et Galenus qui in praxi tradenda ſanè haud contemnendus ſcribit, aquae frigidae poculum eſſe ex praecipuis febrium continentium remediis. Aretaeus ille Capadox, quem fere perfectum ſcriptorem, ſanè vetuſtis medicis ratione medendi longe inſigniorem, dicere audeas, † ſuadet 2 vel 3 cyathos aquae frigidae, quando fere conclamatum eſt, in cholera morbo. Sic et Afer Caelius Aurelianus (qui Galeno et Aretaeo ſuperior) in colicis doloribus cum vomitu, aquam frigidam ſorbendam, dabat ‡. Alexander Trallianus quoque, qui non inter Galeni aſſeclas, ſed optimos morborum deſcriptores referendus eſt, ſcribit, ſi bilioſa per vomitum et alvum, egeruntur, ſi aeger vehementer ſitit,

* Lib. 2. de morb. ſect. 36. † P. 104.
‡ Vid. p. 148.

ſitit, et linguam ſcabram habet, ſi aeſtas fuerit, et ſi juvenis, aquam frigidam bibendam ſuadet *: ſic veſtigia veterum premens cl. LANCISIUS in conſilio exhibito Summo Pontifici, de praecavenda, et curanda febre intermittente, quae in veteri urbe epidemicè graſſabatur, inter alia ſuadet, ut etiam egentiores per aeſtatem, atquè autumnum ad potum cum vino, nivem adhibeant; ſic enim appetitus proſtratus erigebatur †.

SED demus nullum habere auctorem, nullo exemplo fieri, aquae frigidae potationem; anne ergo proſcribenda eſt? Hoc modo ars ſalutaris limites nunquam promovebit. Ab experimentis, medicina eſt educta, ab experimentis cautè adhibitis, praecipuè augenda eſt. Et quoniam uſus multiplex, aquam frigidam eſſe utilem, pro hocce ſymptomate docuit, aliis futuram aequè utilem commendo.

C. *De*

* Lib. 7. Vid. etiam Celſum de torminibus, lib. 4. cap. 15. teneſmo lib. 4. cap. 18. de diarrhoea cap. 19. ejuſd. lib. pro ardore ventricul. cap. 5. et denique pro cholera morb. lib. 4. cap. 9. aquam vel frigidam vel egelidam commendat.

† Vid. lib. 2. de palud. nox effluv. p. 206.

C. *De catharsi in hoc morbo instituenda.*

FIT tamen aliquando, quòd emetica aegro propinare non est sanae mentis consilium. Novi strenuum ductorem, qui in spasmos horrendos, vitam minantes, conjicitur nisu minimo vomendi. Autumno praeterea 1748 excretione intestinali spontaneâ paroxysmos impeditos, immo morbum et vi et spatio valde imminutum, videre fuit *. Notat, fluxu superveniente sponte, febrem putridam aliàs exitialem, in intermittentem conversam esse, vel omnino profligatam cl. WINTRINGHAMUS †. Et quoniam ars salutaris, naturae tantùm ministra, quam viam in morbis discutiendis affectet illa, ut medicus observet, apprimè necessarium est. Sed futuri fluxûs per alvum, borborygmi, hypochondriorum tentio, flatus, horrores, lassitudo sunt signa ‡. Quando ergo priora symptomata obtinebant, catharticis naturae nisui obsecundabam. Sic legimus divinum Senem || catharsin post tertianae quartam accessionem praecepisse. Et

* Vid. Riverium lib. 17. cap. 3. Vid. Hoffm. tom. 2. cap. 1. § 1.

† p. 122. ‡ Vid. Hippocrat. coac. praenot. num. 143. et num. 19. tom. 8. Chart. || Lib. 2. cap. 13.

Et ASCLEPIADES, (qui multis nominibus commendari debeat *), die tertio poſt acceſſionem tertianae febris, dicit alvum duci oportere †. Tutius tamen eſt, (inquit idem CELSUS in eodem loco) hoc ipſo ordine tria remedia, vomitus, alvi ductionis, vini potûs, per triduum, hoc eſt, die tertio, quinto (ſcil. in initio 3 et 7 paroxyſmi purgans adhibere). Hinc clariſſime patet, quod quamvis de die

* Aſclepiades morbos ab inſenſibili perſpiratione impedita deduxit. Celſ. p. 5. Aurelian. p. 42. Frictionem in multis commendabat Celſ. p. 87. l. 14. Aquam ſalſam, et quidem per biduum, purgationis cauſâ, bibere cogebat Aſclepiades. Celſ. L. 3. c. 24.

Febre ut remedio utebatur Celſ. lib. 2. can. 8. Neque in ullo die quia par, imparve eſſet, aegris vel majus vel minus periculum eſſe duxit. Celſ. lib 3. cap 4. In febre, vino utebatur. Vid Plin. Validiora purgantia et emetica, et quaecunque vehementiora ex medecina expulit. Hoffman. Tom 1. cap. 6. Lectos penſiles pro aegrotorum commoditate primus invenit. Vid. Plin. Hiſt. Nat.

Medicamentorum uſum ex magna parte ſuſtulit, quia cum omnia ſtomachum fere laedant, malique ſucci ſint, ad ipſius victus rationem potius omnem ſuam curam tranſtulit. Celſ. lib. 5. praefat. Cur tunc adeo increpatur a Barker? Vid. *parallel.*

† Celſ. lib. 3. cap. 14.

diſſentiant, in morbi initio neceſſariam eſſe ſtatuebant omnes.

Sic denique natura ipſa, et qui naturam ſequebantur, hoc medendi nobis inſtitutum praemonſtrant: unde eſt tunc, quod tam multi catharticorum uſum in hac febre adeo reprehendunt? Iiſdem praejudiciis imbutus, memet ad harum febrium curationem accingebam; a quibus, aequa naturae obſervatio, et attenta principum medicinae lectio, me tandem tardè emancipabant. Experimenta, quae de hac re primò feci, cautè inſtituebantur. Succeſſu timorem minuente, fauſtè in ſequentibus circumſtantiis catharſin praeſcribebam.

1. Quando alvus conſtipatur. Ann. 1748 febricitabat quidam Gallo-Britannus in noſocomio: hic per ſpatium bimeſtre nunquam depoſuit, niſi ſumpto pharmaco, vel injecto clyſmate. Quamvis haec erat maximè memorabilis alvi aſtrictio, quam unquam tractabam, inſignes ſatis hoc tempore aſtrictiones 3 vel 4 dierum ſaepe notabam. A ſuppreſſo ventre, olim obſervabat Celsus, inflationes, caligines, capitis dolores, aliaque ſuperioris partis mala *: neque mirum eſt; febrili calore, corporis humores, (prae reliquis inteſtinorum

* Lib. 1. cap. 3.

norum inquilini), majorem acrimoniam contrahunt, (h. e. ſalium volatilitas, oleorumque rancor illis augetur) in ſanguinis circulum ſic exaltatos, ponamus abſorptos, (at in habitum reverâ, tum volatilitate, cum calore aucto, facilè patet via). A fonte tam corrupto, ſolida irritante, liquores inquinante, quae mala provenire non poſſint? Capitis dolor, vigiliae, febris incrementum, ſitis vix reſtinguenda, halitus foetidus, reſpiratio anhelosa, abdominis dolor, calor, durities, * inflatio, ſpaſmi; ſed quid pluribus opus? Mors ipſa, niſi alvus tempeſtivè ducatur, indubie ſequetur.

Hinc nihil magis ex uſu eſt, quam ut alvus non ſinatur ſui officii oblivisci. Quapropter ſi, poſt propinata cathartica, alvus adhuc reſiſtebat, quotidie vel clyſma febrifugum cum leni eccoprotico, et ſale nitri nuptum ſemper exhibebam. Video fere idem fuiſſe factum cum fauſto ſucceſſu, in Piſaurenſi epidemia (quae huic noſtrae erat valde ſimilis) a Lancisio. Rhabarbarum, quippe amarum, quippe aſtringens,

* Ab hac cauſa febrium rationes deducit Hippocrates, in libro de flatibus.

gens, caeteris anteponit *. Hoc nisi feceris, frustra salutem aegrotanti promittis: febris incidit in vetustatem, specificis minimè, itinere longinquo curandam difficulter. Plura de hac re dixerim, quia novi medicinam in exercitu facientes, qui alvi solutionem vel minimam adeo extimescant, ut semper opiata cum cortice conjungant. Memini ego plurimos, autumno 1748, leni diarrhoea, dum corticem sumebant, correptos: hìc alvi fluxus adeo non exitiosus erat, ut e contrario, multum et ad curam citam et tutam faciebat: attamen, ut Lyricorum princeps canit,

Est modus in rebus, sunt certi denique fines,
Quos ultra citraque nequit consistere rectum.

Quando enim dysenteria urget, et vires et vita periclitantur, motus componere nihil mihi potius fuit †. Et sic aliquando opium, sic purgans cortice Peruviano mixtum exhibere convenit.

2. QUANDO

* Cl. Cleghorn jungit corticem sali cathartico amaro, in curanda tertiana balearica. p. 193. c. 3. Quando catharsin ferre valeant aegrotantes, purgantia mitiora antiphlogistica reliquis praefert.

† Vid. supra. vide etiam Hoff. Tom. 2. p. 37.

2. QUANDO flatus cum borborygmis urgebant *, carminativa cum purgante remedio miſcebam: quando vero ſiniſtrum latus ad flexuram inteſtini coli ſigmoideam inflabatur, clyſmata emollientia cathartica uſurpabam; ſed tunc oportet, ut aeger lateri dextro figurâ curvâ incumbat, aliter retineri nequeunt, neque illis ſatis altè, mole inteſtinorum incumbente, pervadere datur facultas. Huic ſymptomati mulieres gravidae, et homines ſtudiis addicti, exponuntur; eandem curationem ſuſcipit.

3. PRO dolore lumborum (qui autumno adeo frequens et ſaevus) nullum adeo efficax medicinae genus, ac pharmacum ventrem exonerans, uſus monſtraverit: et quoniam, medica monumenta evolvens, nihil de modo agendi in hoc ſymptomate debellando comperi, paulò altiùs in cauſas hujus inveſtigare lubet. Et fortaſſis, qui attento perpenderit animo inteſtini duodeni anatomiam, quam magna viſcera, quam magna vaſa, praeſertim quam multi ſucci naturâ diverſi, et quantitate et qualitate, aeſtate et autumno, in vegetis et robuſtis ſaepe peccantes, in eum valde dilatabilem (utpote peritonaeo fere orbatum) effluentes, per tempus ibi tardantur, ante ſummum incurvati fere ad perpendiculum

* Vid. deſcript.

pendiculum inteſtini quam attingant, huic cauſa, cur flatus illud a paſtu praecipuè diſtendant, quare adeo acerbus dolor urgebat in hac parte, et quare purgantia tam ſalutarem in hoc fugando effectum praebeant, minime latebit. Hinc dolor lumborum inter ſigna fluxûs per alvum futuri, haud immeritò ab HIPPOCRATE coacis praenotionibus recenſetur. Veterum plerique febres intermittentes a bile in hac parte nidulante deducebant. FERNELIUS et RIVERIUS in eadem parte harum febrium ſedes figebant. Unde aliter fugaret paroxyſmum in initio datus ſuccus limonum? Unde aliter morbum, poſt bilis evacuationem immodicam, emetica vel purgantia diſcuterent? Anne multi morbi, aeſtate et autumno graſſantes, militibus adeo funeſti, a bile nimiâ et depravatâ pendeant *? Qui plura de his ſcire deſiderat, anatomiam inteſtini hujus

unicè

* Hippocrates obſervat tortiones circa umbilicum, et circa lumbos dolores, qui neque medecinâ neque alio modo ſolvuntur, iis in tympaniam iſta conſueſſe firmari. Vid. Lom. obſ. p. 200.

unicè veram, a cl. praeceptore A. MONRO depictam et descriptam legat *.

4. QUANDO emeticum vel aversabantur, vel temperamento ferre non possent aegri, hujus vices catharticum remedium supplebat.

5. QUANDO hypochondriorum tensio dura, et obstructio, vel hepar, vel lienem obsidebat †, illam expedire, catharticis de-obstruentibus cum calomel. E. G. pil. rudii ecphract. aloeticis et sal. absyn. conabar; neque erat irritum tentamen, quippe usu horum satis longo, exercitio, et febrilibus paroxysmis, profligata saepe, imminuta fere semper vidi.

6. QUANDO paroxysmi nimis frequenter E. G. duplices, &c. morbusque inveteraverit.

7. AB HOFFMANNO ‡ notatum est, quod febres hujusmodi multas sordes, in primis viis, pariant. Hae sordes vermium foeturae pabulum praebent ||; sed vermes, in locis paludosis, frequentiores sunt **; et vermibus

* Vid. Med. Ess. vol. 4. Consulat etiam dissertatiunculam a cl. Hoffmanno, cui titulus, de duodeno multorum malorum causâ, olim editam, nunc in 6 operum tomo recusam.

† Vid. descript. supra.

‡ Tom. 2. p. 13.

|| Lancis. lib. 2. epidem. 4.

** Vid. Lancis, l. 2. p. 232.

mibus magis, tum a pravis cibariis, cum a militiae laboribus, ſubjecti ſunt milites in caſtris, quam cives et ſobriè viventes. At ANDRY, in opere medico de vermibus, febrem intermittentem ab illis originem ſaepe trahere, obſervat: immo in hac noſtra epidemica et ανω et κατω vermes nonnunquam prorepſerunt *. His ergo rationibus permotus militibus hac febre laborantibus cathartica exhibui, et vermes ſaepe magnâ copiâ ejectos occidi. Cl. MONRO narratiunculam verolosi cujuſdam quartanâ aegrotantis, ptyaliſmo curati, tradit †. Anne erat hectica verolosa? Anne pendebat a vermibus? Sic fortaſſe purgativum forte, quendam a febre quartana, liberabat ‡.

ERGO purgandum in intermittente, quamvis non adſint ſigna coctionis, contra mentem PATINII aliorumque, et quamvis neque morbus, neque ſymptomata imminuantur ||.

OMNIA purgantia aut. 1748, pil. RUFFI, extracto RUD. pil. cocch. cum ſale abſynth. et quandoque mercurio dulci, poſthabui. Eandam maſſam in hydropicis exhibui. Elix. et

* Vid. caſ. 5. Vid. quoque cl. Cleghorn p. 187.

† Vid. med. eſſays.

‡ Vid. com. liter. Norimb. 1739. hebd. 42.

|| Werlehoff. p. 24.

et tinct. ſac. cum ſp. vini conveniunt magis in praxi civili.

Sic denique a ſymptomatibus indicationem ſumens, emeſin ſaepe, catharſin ſaepius (ann. 1748) inſtituebam. Materiam turgidam (inquit Galenus) cum ad ventriculum repit, per vomitum educere oportet, cum vero vergit ad inferiora, per inferiorem excretionem *. Obſervabam tamen, quod ea emetica, quae alvum ducebant, pleniùs ac meliùs paroxyſmum depellebant. Et quoniam eaſdem methodos ann. 1748, natura ſaepe affectabat, incidit ſuſpicio, quod cathartica cum emeticis propinata, utramque paginam luculentius abſolverent. Quapropter, menſe Septembr. hujus anni, et ann. 1749, ſaepe cum ſucceſſu ſic juncta exhibebam.

Fortasse in ſobriè viventibus, et ab aliis morbis, qui hujuſmodi purgationes deſiderabant, convaleſcentibus, in totum praetermitti poteſt omnis corporis praeparatio per evacuantia; in milite raró cum ſalute. Hi enim a ratione victus in caſtris, et a militiae laboribus, humorum ſaburram in primis viis colligunt. Fortaſſe et multi morborum quibus pareant,

M in

* De arte curand. ad Glaucen. cap. 9.

in primis viis videantur fixiſſe ſedem. Ergo in exercitu praxin exercenti nihil, quam primas vias, et in hoc morbo, et in febrium aliarum principio, bene exonerare, maximè fervente aeſtate, debet eſſe antiquius.

CAPUT III.

Quomodo ii tractandi ſunt qui evacuantia ferre nequeunt.

ILLORUM numero aſcribendi ſunt malis hypochondriacis obnoxii. Illis enim turbantur ſpiritus (ut notat celeb. practicus VAN SWIETEN) etiam antequam alvum purgans fuderit. In hoc caſû ſanè maturo judicio opus eſt. Omnes fere uno ore proclamant, quòd cortex nimis mature ingeſtus multas clades excitat; omnes verò eodem tempore fatentur, quòd nullum remedium, tam potenter ac cortex, ſpirituum *αταξιαν* pacat. Anne hi morbi ab obſtructionibus pendeant? Anne a ſolidorum, praeſertim ventriculi *ατονια* oriantur? Sed quoniam mihi nunquam malum propriè hypochondriacum cum intermittente conjunctum, tractare contigit, aliis

quâ

quâ viâ inſiſtendum relinquo. Anne purgantia gummoſa foetida accommoda forent? Anne clyſmata cum cortice? Circuitu ſic in ordinem redacto, quomodo paroxyſmi in ſingulas partes impetum feci, reſtat deſcribendus; et primo.

CAPUT IV.

De horroris curatione.

EMETICIS, et catharſi ſaepe diſcuſſam eſſe horripilationem, ſupra memoratum eſt: ſed quoniam non ſunt ſemper aeque fauſta, audiamus, quid veteres de hac re ſcripſerint, et praeſertim CELSUS. Itaque ſub exſpectatione (inquit ille medicus vere Romanus) proximae acceſſionis, deducendus in balneum aeger, dandaque opera, ut per tempus horroris in ſolio ſit. Si ibi quoque ſenſerit, idem ſub expectatione ſequentis acceſſionis faciat; ſiquidem eo quoque modo, is ſaepe diſcutitur. Si nec balneum quidem profuit, ante acceſſionem allium ſedat aut bibat calidam aquam cum pipere. Poteſt quidem balneum prodeſſe (et reverâ ſemicupio calido horrorem diſcuſſum novi) propinetur tamen cum ſuſpenſa manu aqua cum pipere.

pere. Apud mulierculas in exercitu, horrentibus magnam copiam ſp. junip. cum zinzibere, n. moſch. pipere &c. exhibere mos invaluit. Hoc modo, morbum curatum ſemel notabam; ſed tamen ὡς δια πυρος evaſit, quippe inde febris intendebatur, cui phrenitis ſe comitem junxit. Novi mulierculam, peripneumoniâ, poſt comeſſam halecem cum ſale conditam, et allii magnâ quantitate pro horrore, correptam, quâ aegre medentium curâ exquiſitiſſimâ in fugas datâ, iterum febris rediit. Immo juvenem, vernali febri laborantem, ol. caryophylli gutt. 5 pro horrore, occiſum, videbat cl. VAN SWIETEN *. Et ſanè, ſicum BOERHAAV. conſideremus, quòd, frigoris febrilis tempore, ſanguis venoſus circa cor dextrum collectus haereat, dum liquidiſſima tantùm ejus pars per pulmonum anguſtias debili vi cordis propellitur, facilè apparebit, quòd remedia, motum humorum augentia, ante vaſa quam pervia (quippe contrahuntur ab horrore) fuerint, et ſanguis leniter attenuantibus aquoſis ſaponaceis ſolvatur, apparebit, inquam, quòd craſſum immeabile arteriae pulmonalis extremis altiùs impingetur. A quo MALPIGHIUS, VICUSSEM et LANCI-

SIUS

* Vid. comment. in aph. 624.

sius subitam mortem viderunt; Anne ergo immersio in frigidam aquam conveniret? Hoc commendatum a quibusdam in India Occidentali medicinam facientibus novi. Anne epispastica, tempore quo vires exerere possent horroris initio, applicata, commodo forent? Certe ego ea cum fructu in phlegmaticis soporosis admovi; et sanè, si liquores abundantes prius ingerere, et postea his uti conceditur, nil mali ab illis formido. Optimè verò curatur, potu aquae calidae, nitrosae, saponaceae, cum mellis et vini pauxillo, pediluvio, vapore, frictione blandâ partium extremarum, lateribus calefactis, stragulis (quae ab Hippocrate ad sudorem proritandum commendantur) salviâ theiformi, vini rhenani sero. Cur ergo Hoffmannus scribit nihil in horrore esse tentandum *?

CAPUT

* Tom. 2. p. 16. Vid. cl. Cleghorn cap. 3. p. 171.

CAPUT V.

In febrili paroxysmo quid faciundum est.

TEMPORE febrilis ardoris, pulmentum aliquid cum sale nitri, sale ammon. pulv. contrayerv. * bibendum dedi. Frigida pocula, et HIPPOCRATES et GALENUS suadent in tertiana, et medici HISPANI hodie propinant. Sed in hac re maturo judicio opus est; quippe quamvis aquam frigidam bibentes furtim nostrates saepe sine noxa deprehendi, † attamen nunquam prescripsi, quoniam certâ experientiâ constat, plures calefactos E. G. exercitio, &c. mox, a nimio certè frigido potu hausto, interiisse, vel in morbos difficulter sanandos incidisse ‡. Quapropter tepidum vel saltem egelidum potum dedi. Quibus verò magis arrisit infusum salviae theiformis, hoc illis concedebatur. Loco honestiori nati, vini rhenani sero pro lubitu utebantur. HIPPOCRATES ad provocandum sudorem, et in tertiana et in quartana, balneum tepidum, et febricitantem benè stragulis operiri suadebat ||: quanquam cl. FRIENDIUS scribit, illum ne vel

* Pharm. Lond. † Vid Cleghorn c. 3. p. 174.
‡ Vid. Hoffm. tom. 1. p. 233. || Lib. de morb.

vel ſemel ſudorem ſollicitantia memorare. Ad eundem finem utuntur noſtrates dilutiori *Punch*, in INDIA occidentali. Si verò nimius increſcat febrilis aeſtus cum ſiti, neque v. ſecandi facultas dabatur, ſp. vitriol. dul. nitr. dulc. &c. in poculis debitâ copiâ exhibebam. Quippe cavendum ut diureſis promoveatur, aliter a hydrope timendum. Hiſce, humoribus attenuatis, laxatiſque ſolidis, ſudor copioſè dimanans febrilem paroxyſmum judicabat. Si verò nimius ſudor, * varia mala, quamvis ab illo multum diminuitur febris, producit. Orbatur parte ſuâ ſubtiliſſimâ ſanguis, hinc qui reſtat, evadit craſſior, hinc humoris ſecreti excretique, minuitur quantitas, hinc chylopoieſis, hinc ſanguificatio turbantur; corpus quotidie marceſcit, quotidie obſtructiones fiunt. Ergo et in hepate, ubi natura torpet quaſi ſanguis, omnia haec ann. 1748 notabam. Hinc non immeritò inter peſſima febrium ſigna refertur. Ad quae praecavenda, liquores egelidos, ſubacidos, leniter ſpirituoſos parcè bibat, et parum ſtragulis operiatur febricitans. Induſia ſicca, nitida, (quo nihil magis ad ſudoris copiam minuendam, nihil ad ſanitatem citò recuperandam facit)

* Vid. autumnalis deſcript.

facit) ut induant, auctor ſum. Neque inde timendum ne frigus, uti loquuntur vulgo, contrahant, e contrario hoc (modo ritè inſtituatur) arcetur. Hinc mihi mos ſolennis, ut in noſocomio aegrotantes cogere ter omni ſeptimanâ nitida induſia induant. Frictio etiam commendatur. Anne poſt frictionem foret utilis olei inunctio, quae hodie Indis familiaris eſt? Sed prae caeteris e lecto quotidie ſurgere, et corpus exercere convenit. Vel ſaltem ſitus horizontalis veſtibus indutis covenit. Elixr. vitrioli cum chalybe utor. Sed ſi ſudor febrem ultra ſpatium trahit, nihil aequè ſolida vibrat humoreſque denſat, ac cortex cum antimonio crudo junctus. Et ſi, eodem tempore, corpus pro viribus exerceatur, et in aqua frigida lavetur, ſymptoma hoc ſemper diſcuſſum vidi.

Anne in aërem ſiccum, tenuem, frigidiuſculum (qualem in montium cacuminibus ſpiramus) mutatio foret utilis?

Aerem cubiculi refrigeratum, ſole excluſo, ipſoque pavimento oxycrato, aut aquâ roſaceâ, cui miſtum ſit acetum acerrimum, aſperſo, cl. Lommius commendat. Frondibus ſalicis, aut vitis, &c. area inſternatur. Eadem utiliter manibus tractantur aegrotantium, et per omnem

omnem lectuli partem ſparguntur. Haec in caſtris fieri non poſſunt, commodè tamen in civitatibus. Cur ergo LOMMIUS interdicit omnia pocula febrilis aeſtûs tempore? *

CAPUT VI.

Quid per primos paroxyſmos faciendum eſt.

HOc modo pacatis, quae morbum praevertebant, ſymptomatibus, et acceſſionibus in ordinem redactis; per 3 vel 4 inſequentes circuitus, ſalina aperientia, amara, E. G. ſal. abſynth. elix. vitrioli tinct. ſennae parvis quantitatibus, exhibebam. Et quoniam morbus pigritiae cauſam plerifque ſubminiſtrabat (unde febrilis ardor intendebatur) quotidie e lecto ſurgere, corpuſque exercere, ſedulò curabam. Sed multi corpus erectum prae debilitate tenere nequirent; anne mirum, ſi in tali ſitu, ſanguis, quando vires cordis ita languent, ad cerebrum, motûs fontem, ſurſum agi nequit? Hos ergo, ſupra lectum veſtibus indutos, jacere coegi. Cl. SYDENHAMUS bene obſervat, quòd nihil magis febri inflammatoriae ſedandae, quam e lecto ſurgere, proſit. Et CELSUS

N meus

* De feb. p. 115, 116.

meus, qui et arte et facundiâ peritiſſimus, praecipit, quòd, die quo febris expectatur, ante ſurgere et exercere, dareque operam oportet, ut in ipſam exercitationem, tempus febris incurrat; ſic enim ſaepe illam diſcuſſam viderat *. Hujus, in hoc morbo, veritatem abundè expertus ſum: vires exinde minus infirmabantur, atque mens hilarior facta eſt. Sin imbecillitas occupabat, pro exercitio geſtatus eſt; et ſi geſtationem quidem ſuſtinere nequiret, ſupra ſtragula, veſtibus indutum jacere, atque frictionem more veterum ſuaſi. Aëri ſicco, lintea, et ſtragula, et ſtramen, quotidie exponere convenit.

Hisce, et evacuationibus ſupra laudatis, cibi appetentia, unde ſemper bene augurare licet, redibat: donec enim ventriculus conſiſtat, morbo vix, minime viribus, ſuccurrere datum eſt. Quomodo enim ſpecificorum vires (quae ſemper ingrata) patietur, ſi cibos coquere ſtomachus non poteſt? Quapropter id ſedulò agebam, ut edendi cupiditas excitaretur. In hunc finem varia eorum, quae vulgò ſtomachica audiunt, variè expertus ſum. Sed nullum huic reficiundae tam ſatis eſſe inveni,

ac

* Lib. 3. cap. 15.

ac elix. vitrioli, amara cum chalybe ſal. abſynth. &c.

§ ALIQUANDO tamen accidebat, quod horum maximam partem, ſymptoma aliquod morbum comitatum, unde vitae periculum, praetermittere cogebat. 1mo, Si corpus adeo debile, vel ob propriam temperiem, aetatem provectam, vel antecedentibus morbis jam penè confectum; ut metus ſit, ne pluribus paroxyſmis deficeret; vel, 2do, ſi ſubita virium proſtratio a morbi violentia, tunc dandus eſt cortex, et induciae quamprimum impetrandae. 3tio, Curabam militem, cui poſt 3 acceſſionem dare corticem, cogebat hemiplegia, quâ per praecedentes acceſſiones infeſtabatur. 4to, Alter, horroris tempore, in ſpaſmos tam horridos, et aphoniam, vomitione violentâ, conjiciebatur. Illi, a 2 acceſſione ſtatim, cortex propinabatur. 5to, Simili a vomitione provenientem violentam ſanguinis excretionem cum tuſſi per pulmonis fiſtulas, venaeſectione non compeſcendam, tractabam; finitâ 3 acceſſione, ad ſpecificum me contuli. Et 6to, febris abigenda, ſi, minimo motu, in ſudores diffluat aeger. Sic denique, 7mo, SYDENHAMUS, dum apoplecticis ſimiles in paroxyſmo decumberent illico corticem exhibendum

exhibendum, ſimulac ſponte ſuâ paroxyſmus deſineret, quin imo et citius, modo fieri poſſit, juſſit. Cl. WERLEHOFF tradit, corticis uſu, ſymptomata apopleɛta ſuperius recenſita, praecaveri. Certe aut. 1748 nec praecavebat, nec medebatur*. Praeterea ſigna invaſionis futurae ſunt omnino incerta. Sed ſi rite procedat morbus, et nihil horum accidat, magnum febris domitorem, de quo nunc traɛtandum, ſequenti methodo praeſcripſi.

CAPUT VII.

De cortice Peruviano.

CORTEX peruvianus provenit ab arbore, quam ſi depiɛtam ad vivum velit leɛtor, adeat *Memoires de l'Academie des ſciences, l'ann.* 1738, *edit. 8vo,* P*lanche* 6. *p.* 346.

Hoc remedium, ex quo primum in EUROPAM advehebatur, ad medium 17 ſeculi, in partes medias, mundum medicum deſciverit. Qui ab eo ſtant, famam ad ſidera evehunt, ad multos morbos tollendos, pleroſque levandos accomodatum praedicant; dum qui eum damnant, odio ultra omnem modum

proſequuntur.

* Vid. deſcript. an. 1748. Vid. quoque caſum 20.

prosequuntur*. Novi et alios infamiae notam, salutari huic remedio inussisse, qui palam illum vituperant, tanquam nocentissimum, clam verò, eodem aliis additis fucato, utuntur, dum curationem febrium arcanis remediis se perficere gloriantur. Quantum hi civium saluti consuluerint, aliis judicandum relinquo, fortasse et fautores, et corticis inimici aberraverint a scopo veritatis. Certe hoc saltem scio, quòd nunquam tales concitasset lites, nisi quibusdam virtutibus egregiis dotatus fuisset. Hinc qui circumstantias morbidas, in quibus vel prodest, vel laedit, publici juris faceret, mehercule de medica bene republica mereretur. Hactenus, nullum de hac re omni numero absolutum prodiit opus; me a tali penso virium tenuitas dehortatur. Quod ad praesens argumentum spectat, paucis illustrare hoc solummodo operis nunc mihi suscipio; quippe multum interest humano generi, ne quis in adhibendo hoc remedio herculeo illotis manibus se immisceat.

Practicis hodie jam probe innotuit, quod cortex peruvianus ingestus, antequam rite praeparetur corpus, funestissimos edit

* Vid. cl. Werlehoff, p. 112. de praejudiciis virorum doctorum contra quaedam remedia nunc probata. Dissertatio elegans.

edit* effectus; et reverâ, quando natura in motibus suis salutaribus turbatur; vel, ut SYDENHAMUS loqui amat, si sanguini, omni fermentationis nisu se dispumanti, repente remora injiciatur, mirandum non est, si stupenda producat mala. Mente sanus quis neget talia? Sed asserunt quidam in exercitu, nec parvi nominis, quòd cortex, leucophleg. ascitides, oedemata, hepatis et lienis obstructiones, utcunque corpus praeparetur, et evacuetur, producit. Hoc ego nego.

OMNES hi morbi sunt in quibusdam circumstantiis funesti, in omnibus curatu difficiles; quapropter summâ, qua possum, ακριβεια rem serio examinabo; liceat tantum praefari, quòd virum probum, aequè in remediis ac in viris vituperandis, deceat esse cautum. Anne potest esse in rerum natura majus facinus, quàm miseros solatio, et artifices solante, privari? Iidem considerare debent, quòd nihil tam arduum est, quam effectus etiam a pharmaco sumpto, eruere; quippe fortasse aciem humanam superat, quaenam symptomata

* At majora mala a corticis tardo quam a propero usu observavit cl. Cleghorn: in tertiana balearica, p. 195, 96. post 3 circuitum plerumque usurpavit.

mata morbo ortum debeant, quaenam remedio, liquidò in omnibus determinare.

Supra memoratum eſt, quòd morbi aquoſi delicatulos, intemperatos, procerae ſtaturae homines phlegmaticos, aetate provectiores affligebant *. Sed hi, auctorum teſtimonio, morbis hydropicis magis obnoxii ſunt. Iidem morbos chronicos, vel nimias evacuationes, excipere obſervantur. Saepe oedemata a nimiis vigiliis viderim. Hippocrates olim notabat, longe majorem noxam, a paluſtribus, ſtagnantibus aquis in hydropis geneſi, pertimeſcendam eſſe. Idem confirmat Hoffmannus †, ſcribit, in maritimis et paluſtribus locis, plures hydropes reperiri. Huc etiam referri debet, quòd Aretaeus Cappadox de hydropis cauſa tradiderit. Aqua intercus, ſaepe a copioſo frigidae aquae potu, provenit, quam, prae nimia ſiti, aliquis multum calefactus ingurgitaverit ‡. Quàm iter facientibus in exercitu commune hoc ſit, omnibus qui meruerint, notum eſt. Immo Celsus memorat et lienis dolorem, et aquam intercutem, inter morbos qui in autumnum incidunt. Ergo in omnibus, et ſolidarum partium

* Vid. deſcript. ann. 1748.

† Tom. 3. p. 327.

‡ Vide Wintringham, p. 84.

partium laxitas, et laticis ſanguinei lentor, et parum globulorum rubrorum. Sed cortex noſter, viribus plane huic contrariis praeditus, quid enim remedii genus, tonum perditum tam egregie excitat? Quid ſudores nimios tam adeo potenter comprimit? Quid robur inteſtinis laevibus tam cito conciliat? In tabe dorſali (a nimia prava venere) quae apud nos ſatis ſolennis, nullum remedii genus, huic noſtro aequiparandum inveni. Omnes hae virtutes, probantur a cl. LYSTERO, BOHNEO, DECKERO, MORTONO, HOFFMANNO, WERLEHOFF, BOERHAAVE. Quomodo tunc poteſt producere ſtatum illum ſolidorum et ſanguinis, qui morbos hydropicos comitatur? TORTUS etiam, ITALIAE inter medicos celeb. meritò referendus, ſcribit, ſe ſaepe infimi ventris tumores, corticis uſu curaviſſe *; et WERLEHOFF qui egregie de hac febre ſcripſerit, ſe corticis imprimis uſu aſſiduo, cachecticos et hydropicos ſanâſſe memorat †.

Adverſarii reſpondent, quòd ab his qualitatibus ſtypticis, noxae omnes oriuntur, eodem modo ac gravidis ſaepe pedes inflantur a minuta arteriae iliacae capacitate. Sic quando arteria membri nutrimento inſerviens, ligatur, fit membrum

* Vid. diſſert. p. 91.

† P. 58, 59. ubi multa exempla reperies. Vid. quoque Cleghorn, c. 3. ſub finem.

membrum citò oedematoſum. Anne, o bone, in rerum natura, datur pharmacum, quòd, ut foetus, vaſa comprimere poteſt? Anne quod oſtia intercludere ut ligatura injecta? Sed cur tempus theoreticè loquendo teramus? Corticem hiſce ipſis ſymptomatibus (praecipuè hydropi intercuti et oedemati) ab optimis practicis praeſcriptum video, quorum paucos ſupra memoravimus.

HISCE addatur, quod poteſt in corpore cauſa præexiſtere, quae tales morbos crearet; hanc ſortaſſe tantum citius in actum febris periodica ſuperveniens producit. Poteſt eſſe ſchirrhoſum hepar. Sed a jecinore duro hydropes longè funeſtiſſimos ſequi in aph. 1229 probaverit inſigniſſ. BOERHAAVE, et omnis retro credidit antiquitas *.

IN phyſiologicis demonſtratur, ſanguinem venoſum a pancreate, omento, liene, meſenterio, inteſtinis, ſtomacho, reducem in trunco venae portarum colligi, et inde per convergentes ejuſdem venae ramos, per totam hepatis ſubſtantiam diſtribui; hinc ſanguis ipſe ibi magis iners, (ſed inertior praegreſſae aeſtatis calore reddebatur) et quoniam vi pul-

O ſatili

* Vid. Hippocr. ſect. 6. aph. 43. Celſ. lib. 4. cap. 8, 9. Aret. Cappad. P. 41, 42, 44.

ſatili non propellitur, facile obſtructiones, in hoc viſcere, quovis, faciliùs verò hoc tempore, gignuntur; calore quippe febrili avolat ſanguinis liquidior pars, hinc ſtagnationi aptior devenit; hinc ſcirrhi, hinc hydropes, hinc icteri; hinc multos apud incolas hiſce morbis languentes vidi, qui ne vel minimum corticis ſumpſerant *. Sed quod rem ultra omne dubium ponit, et febrifugum ab infamiae nota pleniſſimè liberat; haec ipſa ſymptomata, morbum periodicum ſequentia, olim medicinae parentes obſervârunt †. Nonnulli horum, viz. qui febribus periodicis laborabant, annotante Coo, ex hydrope mortui ſunt; plures fuerunt, quos, praeter alias aegritudines, tumores oedematoſi excruciârunt: et Galenus ‡ obſervabat in tertiana pertinaci, quae, autumno incipiens, vere ſequenti tantùm ceſſabat, lienis maxumum tumorem, et praecordia flatu diſtenta||. Asclepiades notabat quoque hydropem, poſt hanc febrem **.

Anne

* Vid. deſcript.

† Hippocrates, lib. 3. epidemic. ſect. 3.

‡ Method. med. lib. 1. cap. 9.

|| Vide ejuſdem comment. in primam ſect. libr. prim. epidem. Vid. etiam lib. 3. de loc. affectis, in quo notat, a nullo morbo ſaepius hydropes oriri quam a quartana.

** Vid. Celſ. lib. 3. cap. 2.

ANNE hepar vel lien in quartana plerumque afficitur *?

PLURA exempla referre ſupervacaneum habeo; vix datur ullus autor ad 17 ſeculum, qui talia non refert, de hoc morbo ſcribens †.

Ex antedictis ergo patet, quòd cortex rite exhibitus per ſe talia pathemata non producat. Qui in illa incidebant, illis erant naturâ proclives, quam regio, aeſtas, potûs ratio, febris ipſa denique augebant. Immo in viſcere ſcirrhi (quippe ſigna, quibus ſe produnt, non ſunt admodum certa, quoniam ne vel minimam aliquando concitant moleſtiam) praeexiſtere poſſint, fortaſſe quoque ſaepius latent quam vulgo creditur. Cortex hoc tempore datus morbum altiùs infiget. Ergo ſummus hîc labor impendendus eſt, ne incauti in hos ſcopulos impingamus. Hinc quoniam tam multa, ad viſcerum obſtructiones et inde hydropes producendos, amicè quaſi conſpirant praeſertim autumno, agamus practici, quaſi talis in corpore diſpoſitio obtinebat. Quapropter ut haec mala evitarem, corpus, catharticis deobſtruentibus E. G. pil. RUFFI, pil.

* Vid. Riverium, lib 17. cap. 5.

† Vid. cl. Wintringham, p. 57, 58.

pil. ecphract. cum ſal. abſinth. primò doſi ſufficiente ad ſedes movendas, poſtea tam parvâ, ut more alterantium agerent, praeparavi; et poſtremo, corticem ipſum cum ſale abſinth. adeo ut illius unicuique drachmae, hujus foret ſemiſcrupulus, exhibui. His factum eſt, ut vix unus ex centum, quos tractabam methodo priore, hypochondriis laborabat.

Hinc patet, quòd ſi tales morbi corticis exhibitionem ſequuntur, a medentis plerumque inſcitia pendeant.

A corticis uſu rheumatiſmum* ſcorbuticum nunquam vidi. Et unde quaeſo oriretur? Sed quoniam inficias non imus quin corticis praematurus uſus obſtructiones gignat; jam monet operis inſtitutum, circumſtantias morbidas, quibus ab illo abſtinere convenit, paucis illuſtrare.

1. Cortice ergo non utendum eſt, quando regio prima, ſuperfluâ viſcidorum, acidorum, billioſorum tenacium ſuccorum illuvie, obſeſſa eſt; quia his, denegatur cortici aditus in vaſa lactea; et quia tales cruditates per vaſa inhalantia in habitum abreptae febri fomitem ſubminiſtrant. Sed ſi ſanguinem attingere

* Aſt ſcorbuti ſaepe febres intermittentes ſine cortice curatas ſequuntur.

tingere cortex queat, et in his casibus erit usus non contemnendi; a febre enim oriri videntur hae impuritates; sed cortice in circulum recepto, et febris enecatur, et solida ad harum expulsionem tutam citam roborantur. Attamen munere suo hìc fungitur meliùs cortex, modo purganti cuivis amaro conjungitur.

2. QUANDO corpus plethoricum, cachecticum a vitio cujusvis visceris in imo ventre, vel a suppressa quavis evacuatione critica, a febrifugo abstinendum.

3. QUANDO tempore febris, respiratio anhelosa.

4. QUIA vi polleat styptica, vitandus ergo est cortex, si signa internae inflammationis in thorace dantur. Mulierculae, a pleuritide male curata, hectica febris quotidie cum asthmate violento, et exscreatione purulenta, supervenit: huic, experiundi gratiâ, corticis semidrachma mane, accessio antequam ingruebat, exhibebatur. Sed omnia symptomata exinde exacerbata, anhelationem praecipuè videbant. Epispasticis et parvâ venaesectione a nece vix liberabatur *.

5. UBI

* Attamen Minorcae cum successu probo in abdominis viscerum inflammatione exhibuit cl. Cleghorn. p. 204.

5. Ubi ergo pus collectum, a fortiore, a quacunque demum causa oriatur, abstinendum.

6. Quando viscerum V. G. hepatis vel lienis obstructio lenta, schirrosa: convenit in hisce curandis cum purgantibus, aquilam albam miscere. Haec vitia quies auget, itaque exercitatione opus est. Acida in lienosis valde commendat Celsus, ergo acetum acre per se sorbere, et magis etiam quòd scillâ conditum est, expedire ait; potui jejuno dari debet absinthium aquae incoctum, at post cibum, aqua a ferrario fabro, in qua candens ferrum subinde extinctum sit; haec enim lienem praecipuè coercet; quod animadversum est in his animalibus, quae apud hos fabros educata, exiguos lienes habent. Et denique omnia, quae urinae movendae sunt idonea, in cibis et potionibus exhibenda *.

Emetica (ob rationes supra datas) debeant esse utilia; post illa suadet cl. Van Swieten decocta, ex rad. apperient. sale polych. rob. sambuci, melle confecta. Celsiana praxis mihi

* Vid. Cels. lib. 4. cap. 10. Plinius notat procemio, lib. 23. veteres ex aceto cineres sarmentorum pro lienis vitiis bibisse; hoc pulchrè convenit cum praxi nostra.

mihi aequè* arridet: cathartica vero gummosa cum salibus lixivialibus et ferro plerumque morbum radicitùs tollunt. Hae obstructiones aliquando per annos affligunt, quando medendi methodus fuerit perversa, vel quando aegrotans remedia respuit, et tunc raró curantur.

Anne Paeti cataplasmata, epigastrio et hypochondriis applicata, forent commoda †?

Anne aquae vulgo *Bath* in hoc morbo haustae forent utiles?

Liquet, quòd febris moderatus gradus ad eas expediundas multum facit ‡; ast nimius et urens aegrotantem, obstructiones figendo pessundat.

7. Ergo in ascitide, a vitio hepatis pendente, non convenit.

8. Quando quartana, apoplectico, vel cuivis alio morbo, remediis incassum tentato supervenit, abstinere a remedio uno ore suadent medici; quia quartana morbos haud aliter curandos saepe curat. Hoc Hippocrates notabat. Hujus plura in historia medica prostant exempla; liceat verò exemplum insigne, quo canon hicce in dubium vocatur, in medium proferre.

Juvenis

* Loco postremò citato.

† Vid. *Med. Ess.* vol. 2. cap. 5. ubi tabacum laudatur.

‡ Vide supra descriptionem, 1748.

Juvenis vegetus, plethoricus, facie decorâ, ſtaturâque procerâ, annos agens 22, nocte obſcurâ per ſaltum domum rediens, ſpectro viſo (uti credidit) territus, in horridam epilepſiam eâdem nocte incidit: inſultus rediens bis vel ter omni menſe, parum idoneum labori in fodinis carbonariis (quod illi munus erat) reddidit. Caſu in legionem noſtram conſcribebatur. Morbum, quia ejus puduit, a contubernalibus celabat; donec ſtantem ſub armis horribilis acceſſio invaſit. In valetudinarium (ubi aegri legionis decumbebant) tranſportatum ſolito frequentiores ſaevioreſque corripuerunt: ſubitò in terram corrueret ſenſibus internis et externis captus, horrendùm convulſus, ore diſtorto ſpumam fundente: prodibant faeces et urina. Sex viri vix illum, aliàs non robuſtum, continere poſſent. Durabat plerumque paroxyſmus 16 minuta: ſpaſmi miteſcebant: reſpiratio altior, aequalior, ſudorque dimanans, illum ſtupidum, neque ulla recordantem, liberabat. Saepe vena illi ſecabatur; ſaepe purgantia, emetica ſaepius ſumpſit. Anthelminticorum, aeque ac eorum, quae vulgo antiepileptica audiunt, magnam quantitatem devorabat. Illi urebatur ad βρεγμα, cum cauſtico, ulcus ſatis largum; neque inde ſymptomata mitiora evaſerunt,

runt, nisi quòd accessionem praesentiens, indicium adventûs ejus nutrici faciebat. Hoc modo per tres menses miserè lacessebatur, symptomatibus praesertim ingravescentibus, tempore quo luna implebat orbem. Et jam de salute ejus desperans, de missione miselli tribunus noster loqui coepit: quando vero certior factus a foemina, quae aegrotos curabat, quòd illum omni sexto die invasit paroxysmus, sperare incepi. Autopsiâ confirmatus, quòd sic se res habebat, corticis drachmas duas quotidie dedi: hoc modo drachmas decem in primo intervallo sumpserat, et inde erat longè mitior accessio. Unciâ secundâ penitus cessit morbus. Dosi ad semidrach. in die minutâ, per sex septimanas remedium assumpsit; neque postea redibat morbus, quamvis spatium annuum jam exactum est. Anne morbus in intermittentis speciem mutabatur? Certum est, quòd a cortice curabatur *.

9. QUANDO febris in vetustatem abierit, et frustra diu a cortice expugnata fuerit, deobstruentibus vel diaphoreticis fortioribus utor (ut supra); quippe tunc alicujus visceris obstructionem suspectam habeo †.

 10. RARO

* *N. B.* Adhuc integer et vegetus, anno 1753.

† Vid. Hoffman. vol. 6. p. 38.

10. RARO ingruente, nunquam tempore febris, quia tunc eſt materiae morbidae collectio, ſubſequente paroxyſmo expellenda, et quae in corpore ſine damno manere non poteſt, febrifugum propino.

QUANDO primùm in EUROPAM advehebatur cortex, ejus pollinis drachmae duae, per tres horas, in vino generoſiſſimo infuſae, aegro horrenti dabantur; ſed quam malo ſucceſſu, cl, BARTHOLIN. * ſcriptis aperuerit. Certum tamen eſt, quòd nonnúnquam hoc modo remittens febris in intermittentem mutatur cum augurio felici: conſtat etiam, quod in multis Indiae Occidentalis provinciis, in febribus continuis a noſtratibus uſurpatur *: compertum eſt quoque, quod doſin hujus, caſu, tempore paroxyſmi deglutitam ſine noxa viderim; ſaepius tamen infauſto cum eventu notabam †.

11. SUB regulari menſium vel lochiorum flùxu, manus ſuſpendenda eſt, niſi urgeat neceſſitas.

AB hiſce omnibus igitur apertè liquet, quòd ſymptomata, non dierum numerus conſiderari debeant;

* Hiſt. anat. et medicament. (cent 5. p. 188.)

† Sic cl. Sydenhamus in 2 conſtit. dicit, quando ad febrem continuam appropinquat remittens, corticem Peruvianam praeſcribi debere.

debeant*; et utrum urina ſubſederit, annon; aetate confecti, vel in flore juventae, (modo nulla horum, a 1 ad 11, ſymptomatωn infeſtent) tutò dari poteſt cortex †.

Si febris quotidiana non multum ſpatii inter acceſſiones relinquat, ante etiam quam (modò planè abierit febris) ſudor reliquerit, parvâ quantitate corticem ‡ exhibeo: quippe omne quod eſt poſtea tempus, lucro eſt. Sic omni trihorio, cum ſale abſinthii doſin propino: bihorio tamen, antequam acceſſio proxime ſecutura expectatur, intermittere opportet. Sic brevi in compendium redigitur febris; vel fit tertiana, cui fugandae, diebus tantum intercalaribus, corticis drachmam unam, mane et veſpere, dedi. Immo quamvis febris abeſt 48 horas, eandem corticis quantitatem, mane et veſpere, exhibebam: hoc mihi non propoſui febrem in incunabulis quaſi jugulare, inducias impetrare

* Bagliv. ſcribit, quòd cortex ante 14, alii ante 21 diem, ingeri non debeat.

† Vid. *Barker's parallel.* Vid. Hoffm. diſſert. de cortice. Vid. etiam cl. Cleghorn, p. 202.

‡ Sibi tamen et ſuo aegro caveat, qui inconſultò hanc methodum in quotidiana, parum ſpatii relinquente, proſequitur; ſiquidem inde ſaevire magis futuri paroxyſmi vigor poſſit.

impetrare tantum conabar. Parvâ dosi repetitâ minus gravatur stomachus; parvâ dosi febrem melius fuisse curatam monstrabat usus. Deglutiant, qui possint, totas uncias corticis, citra drachmas duas nunquam praebium augebam. Et quamvis cl. De Gorter scribit, quòd tanta religio in determinanda dosi non requiritur, parvae doses frequenter repetitae (ob rationes supra latas) erant mihi semper potiores. Hoc tempore chamaemeli infusio omnibus pro jentaculo convenit. Allium quoque mane et vespere devorandum permisi.

Auctores multi quantitatem corticis, quâ possis febres cujusque demum generis abigere, scriptis mandârunt; sed quoniam remedia tantùm relativè agunt, saepe majorem, quandoque minorem requisitam inveni: generatim hoc tamen assero, quòd minori quantitate ablegatam semper, ubi evacuationes debitae praegrediebantur, vidi; et quòd vere, vix corticem intermittentes postulabant. Sed quoniam, tempore belli, munere fungatur oportet ut miles quamprimum, corticem et vere 1747 praescribebam. Et morbi et aegrotantis viribus aequanda dosis est. Drachmâ nonnunquam, unciâ saepiùs, febris periodica curatur: libras tamen praescribere, si nulla alia salutis via, tutum est: non quanti-

tas,

tas, ſed praeſcripti efficacia, in morbis debellandis, reputanda. Bihorio poſt, vel ante adhibitam corticem, aliquem cibum idoneum exhibere praeſtat; ſic enim et rodens ventriculi dolor, et animi deliquium praecaventur. Hoc etiam tempore vehiculo, vel potius equo ſediſſe prodeſt. Nil tam egregiè obſtructiones reſerat, viſcida reſolvit, ſolida confirmat, ac hujuſmodi exercitium; hoc ergo nomine equites (quia illis equo exercendi facultas datur) facilius ab hac febre, multiſque aliis morbis quam pedites convaleſcunt. Omnibus febrifugi praeparationibus, in pulverem corticem redactum (quia omnes expertus ſum) antepono. Militibus in forma electuarii exhibui. Loco honeſtiore natis cum vino, vel, quod guſtum ejus magis ſupprimit, in potu caffe propino. N. B. Si cortex alvum ſtringit, cum eccoproticis; ſin verò laxat, cum aſtringentibus jungendus eſt. Quod ad victum attinet; ſymptomatibus illum accomodabam, in initio, tenuiore parciore uſus ſum, poſtea illis plenior et robuſtior concedebatur. Apyrexiae tempore, vini albi Hiſpanici (*mountain* vulgo) cum ſtomachicis aliquando mixti, cyathum unum aut alterum quotidie dabam. Hoc illis, Ser. CUMBRIAE ducis munificentiâ ſuppeditabatur.

ſuppeditabatur. Vinum, uti ſtomachum mulcet, ſic in rerum natura, nihil cordi tam gratum datur; mirabiles effectus ſemper in pauperibus edit, et qui illi non aſſuefacti ſunt. Hic notari debeat, quod militibus, etiam morbis acutis laborantibus, vinum vel cereviſiam in potu ſaepe permittere expedit. Hi enim ſp. ardentibus tam multum dediti ſunt, ut etiam neceſſe ſit quandam intemperantiam continuare in aegritudine ipſa. Hujus multa exempla praxis militaris mihi monſtraverit. Sed cl. MONRO hanc rem tam clarè expoſuit, ut nullus de ea poſſit jam eſſe dubitandi locus*, et omnia de hac ſupervacanea reddidit argumenta. Praeterea teſtatur experientiſſimus SYDENHAMUS, quod febres int. cortice fruſtra oppugnatas, vino ſolo ſanaverit.

CAPUT VIII.

De recidivis praecavendis.

HISCE remediis, quod ſymptomata jam evanuerunt, ſupponamus; a cortice non ideo abſtinendum, aliter morbus indubitatè recrudeſcet. Nihil adeo fallax ac hicce morbus,

* Vid. *M. Eſſays.* Vol. 6. c. 46.

bus, ſaepe renatum 6 ſeptimanas poſtquam deſiiſſe videbatur, obſervare licuit, modo corticem nimis cito omittebant. Et quoniam plerique, niſi morbo moniti, pharmaca faſtidiunt, hoc modo multis rurſum aegritudo accidebat. Ergo quando epidemicè graſſatur, autumno praeſertim, in uſu corticis, ſed doſi minutâ, per menſis vel ultra ſpatium, poſt ultimam acceſſionem, perſeverandum. Sed ſi corticis uſus tam longus nimis arridet, amara in vino vel ſp. junip. (vulgo *gin)* corticis vices expleant. Radicibus gentianae, galangae, ſerpentariae virg. cum ſale abſinthii et n. moſchata, caetera poſthabeo. Uſu talium, intermittentes vernales anno 1740 cum ſale ammon. crudo, ſine cortice omnes curabam. Forte nihil hoc tempore ad praecavendas recidivas, ac aëris mutatio, vel longinquum iter, adeo proficeret; quae dum aërem Batavum ſpirabant, leviſſima de cauſa recrudeſcebant. Matutina et veſpertina frigora, opima, pinguia, ſale et fumo condita, olera nimia, venti humidi, timor, jam a tempore longo ſopitas acceſſiones denuo excitabant. Dulcia ac acida, eodem nomine ab HOFFMANNO et LANCISIO improbantur. Prae omnibus verò frigus humidum cum tenui menſa, et malo lecto, recidivas concitabant.

bant. Hinc quoniam aër autumno m. et v. ubique frigidus, dum ſol ſpatio intermedio fervet, excubiae nocturnae morbi reditûs pleriſque erant in cauſa. Sic ſe habet militum genus (ut hoc impedire non potis eſt) quando enim commilitonem vitae munia fungentem, et ſpecie ſanum vident, injuriis acriter laceſſunt niſi etiam et ſtationes ageret.

QUAPROPTER quando plane febris quieverit, non ſolùm pharmaca ſumere, ſed ejus diei diu meminiſſe, quo invadere debuit, convenit, eoque vitare frigus, calorem, cruditatem, laſſitudinem; facile enim (monente CELSO) revertitur, niſi a ſano aliquando timetur. Eadem cl. HOFFMANNI et BOERHAAVII teſtimoniis confirmata habemus*. Hinc non mirum eſt, quòd maraſmi (quos a longis quotidianis olim notabat HIPPOCRATES) nullâ arte ſanandi, et dyſenteriae non cohibendae, tres vel quatuor hyeme 1748-9 neci dederunt. Frigida hyemalis tempeſtas prae reliquis verò mali iterationem praecavet.

HIC in calce notandum eſt, quod infantum, creta ppt. in larga ſaepe repetita† doſi, cum leni cathart. V. G. rheo, vel fol. ſennae, vel emet. oxymele ſcillitico, ανομαλα omnia ſymptomata removebant.

* Vid. quoque deſcr. p. 91.

† Morbi iterationem ſaepe abſorbentibus diſcuſſam vidi.

removebant. Idem fecit ſal. abſinth. parvâ copiâ datum.

§ Hoc etiam tempore, balneum frigidum (quod veteres ψυχρολουσιαν appellabant) valde expedit. Corporis ſuperficiem totam convellendo quaſi ſubito, et impellendo fortiter omnes humores ad centrum a peripheria, ſolida condenſat, repagula rumpit, viſcida reſolvit*. Hinc ſecretiones et excretiones, praeſertim illam, quae fit per cutis porulos inſenſibilis, adauget. Quapropter innatationem, praeſertim in mari, modo anni tempeſtas ſinat, ſuadeo. Et ſi priora rite inſtituantur, vix a recidivis timendum eſt. Nunquam catharſin in fine inſtituebam †. Emeticum mihi magis arridebat. Catharticorum verò uſum debitum ſub acutorum aliorum exitu minime improbo. Anne plethoram impediant?

* Quoniam aqua maris et ponderoſior, et frigidior fluviatili eſt, in illam immerſio anteponenda.

† Ad recidivas praecavendas Minorcae utilia purgantia invenit ſaepe citatus Cleghorn.

CAPUT IX.

De remedio per ſudores.

DE methodo, quae per ſudores moventia brevi ante paroxyſmum data, inſtituitur, vix dicere habeo; vere et hyeme cum ſucceſſu uſurpata nonnunquam notabam, autumno rariſſimè. Vere 1749 nonnullis, ſulph. drach. duabus in ſp. v. gall. hora ante horrorem exhibitis, morbus profligabatur. Stragulis opertos copioſus ſudor effluens pro judicio erat. Haec methodus, INDIAE OCCIDENTALIS febres intermittententes aliquando curaverit, quando cortex infauſtè dabatur. In benignioribus, expertas laudo vires abſorbentium ante paroxyſmum in ſucco limonum datorum.

HOYERUS in miſcell. natur. curioſorum notat, ab oleorum nativorum exhibitione, febrem intermittentem exitialem factam eſſe. In ſcriptis chemicis multa ſudorifica, quae una doſi dicuntur febres jugulare, ſuſpicor, &c.

USUS fuerim aliquando, hyberno tempore, bolo ſequente, ther. androm. ſal. c. c. camphor. &c. cum ſucceſſu exoptato. Vide curationem horroris.

CAPUT.

* Dec. 3. obſervat. 46.

CAPUT X.

Quomodo hi tractandi ſunt, qui corticem ferre nequeunt.

APUD milites, qui aegrotabant 1748, erant nonnulli, quorum ſtomachus, corticem quâcunque formâ propinatum, quocunque demum remedio fucatum, ſtatim rejiciebat. Illis amara, ut ſupra praeſcripſi; vel ſi haec eſſent minus grata, ſale abſinthii ad quant. dr. I. vicibus partitis, diebus mediis dato, paroxyſmos fugabam. Hôc diſcuſſam quartanam, incaſſum per ſex hebdomadas ſpecifico tentatam, videre fuit. Hôc tertianas ſaepiſſime curavi, (praecipuè in homine, qui corticem adeo faſtidiebat, ut etiam odore viſuque ejus evomeret). Hôc intermittentes cum hypochondriorum dolore tenſivo duro comitatos, feliciter plerumque curabam. Hôc, quotidianas cum ictero, vel cutis colore foedo ſubicteritio junctas, pacabam. In primis viis, cruditatum illuviem detergit, et per urinas, cum crudo ammoniaco prius mixtum, et ab aëre ſervatum, potenter movet. Immo corporis ima penetralia ſubire videtur; quippe hôc ſolo, poſt emeſin, icteros, qui GANDAVI 1744-5, graſſabantur,

graſſabantur, brevi amovebam. Sed quid pluribus opus eſt? Exceptis mercurio et cortice, in tota remediorum ſylva tam pollens, tamque variis virtutibus dotatum, vix novi remedium. Sint haec grati animi teſtimonia, pro multimodis curationibus, quas, mediante hoc ſale, etiam in ſequiore ſexu abſolvi. Si aliis minus proſpere ceſſerit, parva doſis, quâ utebantur, erat in cauſa. Ad ſcrupulum unum et ſemis pro doſi exhibui *. *N. B.* Cortex verò, in enematibus exhibitus, poſſit ſali abſinth. ſuccurrere; et methodus ſudorifica fortè conveniet. Anne ſal abſinth. foret in melancholicis, phlegmate abundantibus, menſium ſuppreſſione, a ſanguine inerti, viſcida, chlorotica, laborantibus, utile? Ubi verò cortex uſurpari poteſt, caeteris omnibus mille nominibus antepono; ſolùm magnus febrium domitor appellari meretur. In quodam, qui remedia penitus abnuebat, febris anomala per biennium durabat, quamvis ex BELGIO in SCOTIAE Septentrionalem partem venerat.

* Vid. Boerhaav. chem. tom. 2. p. 58, 59, 60.

CAPUT

CAPUT XI.

De nonnullis, quae intermittentibus accidunt, vel his superveniunt.

DE hypochondriorum tumore jam actum est: pauca breviter de oedemate primò expendere suscipio.

§ 1. Hoc, a labe cujusvis visceris latente, ortum frequentius trahit; et tunc raró medelam suscipit. Sed de diagnosi, satis olim dictum; quae illi subsidio esse videbantur, tantùm hujus loci sunt.

IMMERSIO subita in aqua frigidissima vel aq. ferraria, postea frictio, inde in lecto sudatio conveniunt. Fotus ex absinth. abrot. chamomel. in aq. ferrar. incoctis, cui ab igne remoto, q. s. sp. vin. camph. additur, semper expedit. Oleo tereb. aetheriali, oedema discussum videre semel contigit. Illi statim asthma suffocativum supervenit, quo brevi e vita excessit.

OLEI tamen hujus usum moderatum, cum sale tart. prae caeteris, utilem semper inveni.

SCARIFICATIONES, 4 fere digitis supra talum ex parte interiore, ex CELSI monito, cum fausto successu saepe institui.

ILLIS

Illis praecedere, vel fotus vel frictiones, necesse est.

In scorbutica humorum dyscrasia, nunquam vulnera (quia his vel sphacelus vel haemorrhagia vitae minans facile superveniunt) celebrare suadeo.

Fascia latiore pedes obvolvantur, et denique pil. Ruffi cum calomel. vel sale absinthii, vel tartaro vitriolato curatio absolvatur. Hisce modis, oedema solum sanatur saepe.

§ 2. Sed longè graviorum morborum potius symptoma est, et tunc non ita facilè curationem suscipit, praesertim quando cum aqua in thorace conjungitur. Hujus signa sunt admodum aequivoca, nec novi ullum, qui de hoc morbo tam clarè scripserit ac Cous senex; febris et tussis tenent, acervatim erecti respirant, pedes tument, et ungues contrahuntur (uti iis quibus pulmonum suppuratio) tantùm pus non exscreatur. Potest etiam, auribus attentè lateri applicatis, sonus percipi, vel si corpus sursum vel deorsum moveatur. Quibusdam facies et scrotum tument: motu parum aucto multum anhelosi, inspiratio difficilis.

Prominentiam transversam, ad septi medii insertionem a cel. Simsono * observatam, notare non dabatur occasio. Haec etenim, a-

quam

* *Medical Essays*, vol. 6. c. 59.

quam jam a longo tempore collectam, et copiosam, praesupponit. Est enim vetustatis symptoma. Sed in exercitu praxin exercentes, in morbi initio in consilium semper adhibentur. Quando ergo priora symptomata obtinebant, et quisquam δυςπνοια corripiebatur cum faciei plenitudine, pulsu parvo debili carpi utrinsque, et pedum tumore aliquali, nec venter illi inflabatur. Bolum sequentem mane dabam. R. turbith. mineral. grana duo, scammon. grana quatuor, camphor. semiscrupulum; fiat bolus: hunc, alvum potenter ducentem, vel urinae vel sudoris quantitatem augentem, cum levamine insigni notabam; nunquam vomitus inde ciebatur.

CAVENDUM tamen est, ne nimis frequenter repetatur bolus; aliter ptyalismum moveret; quippe morbis hydropicis laborantes facilè salivant. Bis superiora symptomata, methodo praegressâ, feliciter excussi. Amara in vino, vel sp. juniperi cum tartaro vitriolato, curationem accelerabant.

§ 3. LONGE verò difficilior curatu est hydrops-ascites, curatum aliquando videre fortuna fuit.

SECTIONIBUS patet, quòd in hoc morbo, abdominis viscera inficiantur. Hepar, et saepe lien, dura, tumida, candidula apparent. Bilis

vel

vel tenuis, vel nimis craſſa, et in calculos concreta. Epiploon fere conſumitur, et parum ſanguinis rubri in venis obſervatur. Totum corpus molle, flaccidum, et ſtomachus maculis gangrenoſis, (Anne a purgantibus draſticis in hoc malo uſurpatis?) vel tuberculis albidis obſeſſus obſervatur *.

In hydrope tractando, duas praecipuè indicationes prae oculis habeo; nempe ut cibi cupiditas redeat, et ut vitia (quibus reliqua ſymptomata quodammodo pendent) in jecinore latentia removeantur.

Emetico ex ſinapi confecto, ventriculum excutere prodeſt; poſt emeſin, amara, diuretica cum deobſtruentibus in vino vel ſpiritu juniperi infuſa, (cathartica attenuantia interponens) propino. Conveniunt quoque ſtomachica, quorum ſupra. His addo cort. cinnamomi, rhabarb. et ſapon. tartari. Hujus infuſi capiat aeger, ventriculo jejuno, cyathum communem. Ad alvum movendam pil. de gambogia †, vel ſequenti maſſa utor.

R. aloëſ. ſoccotr. drachmas duas et ſemis, gambog. drachmam unam, diagrid. drachmam unam, gum. amm. drachmam et ſemis, vitriol. tartariz. ſemidrachmam; fiat maſſ. pil. cum elix.

* Vide Hoffmann. de hydrope.

† Phar. Edinb.

elix. propriet. ſ. a. doſis a ſcrupulo uno ad ſemidrachmam. Pil. cocchiae egregiè proficiunt. Tinctura ſacra, commodâ doſi exhibita, miros ſane praeſtat effectus, neque adeo inde vires infirmantur. Sed in caſtris, hoc uti non datur. Si a purgantibus venter bene turbatur, tumor diminuit, nec debilitatur hydropicus, probè augurare licet. Ad diureſin promovendam, varia ab auctoribus commendantur; difficile tamen eſt in aliis, difficilius verò in hydropicis, urinae quantitatem augere. Elaterio nunquam uſus ſum, quapropter nihil de illo dicere poſſum; a clariſ. HOFFMANNO, aliiſque valdè laudatur. Sequentem ſaepe exhibui pulverem in ſpiritu junip. ſal. abſynthii probè defaecatum, ſal. ammon. crudum p. æ. terantur bene, fit urinoſus, vitro ſtatim obturetur. Hujus ſcrupulus unus ter die pro doſi ſit. Hôc auctam miro modo ſaepe urinae quantitatem viderim. Cautè commiſcendum tamen eſt ſal ammoniacum crudum vel huic vel cuivis alcalino vero: quid enim? miſcela in ventriculum delapſa reſolvitur citò in ſalem volatilem, haud ſine impetu inſigni. Fecit me certiorem D. ANDREAS ST CLARIUS, olim in Academia Edinburgenſi Medicinae Profeſſor, et praeceptor meus amiciſſimus,

quòd noverat quendam, pertinacis morbi pertaesum, caeterum peritum, hac remedii specie tantummodo non suffocatum. Sed, si aliquamdiu in vitro conservetur, particulae aëriae avolant, et periculum praecavetur. Ast quoniam non aequè semper urinam provocat, usum remedii quod sequitur potiorem habeo; R. pulv. cantharidum grana quatuor. sal. tart. grana sex, addantur grana aliquot nitri depurati, et duo camphorae; fiat mass. pil. cum electuarii lenitivi q. s.; dividend. in tres pilul. cap. unam omni trihorio: inde excitatur frequens meiendi desiderium; exeunt cum urina aliquando folliculi digito collabentes, aquâ pleni; et si dosis augeatur, stranguria maximè inquieta suscitabitur. Sed prae omnibus scillae radix, ad movendas urinas, est vehemens. Radix haec, a medicorum antiquissimis, in affectibus hydropicis, ob virtutem, pituitam viscidam lentam dissolventem, urinam moventem, viscerum infarctus reserantem, semper magni aestimata. Sed quoniam elemento acerrimo ac fere caustico gaudet, ad hoc domandum, variis modis veteres sunt usi. Quidam enim ipsam pastae ex farina involvebant, indeque trochiscos conficiebant, uti DIOSCORIDES †; vel cum aqua decoquebant,

* Post salis absynthii dosin inconsultò ammon. crud. hausit.
† Lib. 2. c. 202.

bant, uti HIPPOCRATES de victûs ratione in morbis acutis; vel cum aceto infundebant, uti GALENUS; vel cum vino, uti CAELIUS AURELIANUS coquebat *. Sed coctione vires ejus perdebantur. Cum aceto infusam scillam vel in pulvere exhibitam cum nitri parva quantitate antepono; dosin minuendo, dira praecaventur. PLINIUS et VARRO tradunt, quòd οχειας κ) συνδυασμου desiderium in quadrupedibus excitat: hinc fortasse bulbus pruriosus, corruptè vulus pruriosus, a vulgo vocabatur †.

Spir. terebinth. aeth. in fonte frigido datus ad guttas viginti vel triginta ter de die, fere semper ructus, et urinam auget, quam odore violaceo imbuit.

CAETERUM in potu hydropici, magnum sanè versatur curationis momentum. Illius ergo curam exactam habere opus est. Parcissimè bibat aeger; quippe quo plus bibunt, eo magis potiones sitiuntur; ergo sitis quantum potest tolerandus est. Multos enim, ut cl. practicus RIVERIUS notat, omnimodâ potus abstinentiâ et assorum ũsu (sine alio remedio)

* Lib. 3. de morb. chron.

† Vid. not. in Caelium Aurelianum, p. 639. edit. 1722. Amsterdam.

dio) convaluiſſe certum eſt *. Si tamen ſitis valde urgeat, quod ſane ſemper malum ſignum, illam, per vices oris collutione cum aqua, aceto aut tamarindis, aut ſucco limonum, qui valde illis gratus eſt, vel denique maſtiches, aut cujuſvis ſimilis, aliquot grana mandendo, fallebam. Infuſ. raph. ruſt. &c. convenit.

De cibis, ſicciores tantum cum ſinapi eligantur. Aſſa caro caeteris potior, et panis nauticus unicè concedendus. Et hinc eſt, quòd loco viliori nati et pauperes, generoſis faciliùs convaleſcunt. Exercitatio, in hujus initio, multis nominibus commendanda, quoniam nihil tam egregiè ſolida roborat, et pallorem, qui hujus morbi comes fere ſemper individuus eſt, pellit. Quapropter aſtringentia cum pharmacis miſcere religio eſt. Aëris mutatio (in ſiccum terrenum elaſticum) expedit. Sed nihil eorum, quando jam morbus inveteraverit, et viſcera altè tentantur proficiunt; in mora ergo ſummum periculum, quippe paracenteſi educta aqua, (quae in hac morbi ſpecie, in cavo abdominis plerumque, ab arteriolis exhalantibus dilatatis, extravaſatur) rariſſimè iteratum in aegritudinem lapſum impedit.

Jam

* Vid. caſum hyd. in deſcript. feb. autumn. 1748.

§ 4. JAM reſtat, ut pauca de leucophegmatia quae morbi ſpecies, quamvis viſui magis foeda et horrida quam aſcites, longè facilius curâ medentium ſaneſcit; dicamus. Pro ſitu corporis hicce tumor, adeo ut partes inferiores ſemper magis tumidi ſunt, variat, hinc a nonnullis ambulatorius appellatur. Primas vias cathartico deobſtruente immundo. Amara cum aſtring. cort. cascarillae, catech. cinnamom. praeſcribo, ut ſupra; limatura ferri his ritè conjungitur.

IN his ſudor, vel ſaltem diaphoreſis omni modo tentanda. Methodus, quam caeteris praefero, eſt per ſpt. ardentes infra accenſos, dum in ſella perforata tecti ſedeant. Manante ſudore, dentur cyathi vini generoſi, vel ſera cum illo confecta; citra ſit animi deliquium. Frictio poſtea proficua, ut et geſtatio; et quando omnis aqua hiſce modis evanuerit, balneum frigidum ad fibras roborandas, praecipue verò iter longinquum et cortex, quo minus redeat morbus, ſummè utilia erunt.

ANNE balnea calida ſulphuris chalybeati accommoda forent?

§ 5. PRO tympania nil novi tam bonum ac tincturam cort. Peruv. volatil. pharmacop. Londin.

Londin. vel ſuperioris tincturae* guttulas aliquot, in quibus caſtorei parum commodè ſolvitur. Annon limatura ferri conveniret? Interdum fit, quòd in uno haec omnia hydropum mala impetum facientia et confuſa miſerum quaſi inundant. De hoc et morbis hydropicis, conſulantur monita medica, principis medic. D. D. RICH. MEAD.

Ex his reſponſio ad quaeſtionem, ANNE UNQUAM FEBRIS INTERMITTENS SALUTARIS, colligi poteſt?

CAPUT XII.

De methodo prophylactica.

REMEDIA, quibus iſta contagio, malorum tam ferax, praecaveri poteſt, jam paucis exſequi, monet hujus operis inſtitutum. Magis me ad prophylaxin tradendam, impellit ſtudium, quia militibus alexipharmaco iſto (quod quamvis tribus duntaxat adverbiis conſtitum, quocunque alio, ſexcentis conſtante principiis, ſalubrius eſt) ex TYANAEO deſumpto, viz. citò, longè, tardè, uti non datur. Quomodo enim poteſt miles, tempore belli, citò longè fugere, tardè redire? Quippe

* Vid. pag. praeced. § 4.

Quippe non ſolum in acie, contra hoſtes patriae, ſed et contra elementa illi dimicandum. Militibus ſaepe hyberna, ſemper fere in caſtris tentoria humida ſunt; in utriſque ligna &c. pro focis, in utriſque ſtramen vel ſtragula ſaepe deficiunt. Dum cives pacato ſomno fruuntur, illis vigilias agendum eſt. Dum alii ſeſe ſoli aeſtivo, et imbribus, et frigori brumali ſubducere poſſunt, illis et ſol medius, et frigus, et pluviae toleranda ſunt. Dum oppidani nunquam impaſti foras, illis per loca paluſtria ſqualida, ventriculo jejuno, iter ſaepe faciundum; in paluſtribus caſtra ſaepe metanda. Et denique, dum cives matutinas veſpertinaſque nebulas et rores fugiunt, illos craſſo aëre effundi; illos rore venenato permadere; illos ſic permadidos, humi jacere, dormire ſaepe cogit neceſſitas. Militum, praecipue peditum, ſaepe nimia, nonnunquam nulla fere exercitatio. En morborum minera ferax! En febrium interm. uberrima cauſa! Dicamus igitur prophylaxin, cujus vita militaris capax eſt.

Vitandae praecipuè ſint primarum viarum cruditates, et vaſorum plenitudo nimia; haec fiunt victu analeptico ſalubri; in hoc etiam nimia ſatietas ſemper mala, ſed ſaepe, ſi qua intemperantia ſubeſt, tutior eſt in potione,

tione, quam in eſca. Olera, lacticinia, ſale vel fumo condita, cautè vitentur. Corpus aſſiduè, ſed citra ſi potis eſt fatigationem, exerceatur. Si jam ſtomacho vel inteſtinis laborant, ſordes quovis idoneo evacuanti eluantur. Et ſi plethorae jam adeſt ſignum, ſanguis detractus huic remedio eſt. Novi quoſdam qui phlebotomiae adeo, ut prophylaxi nitebantur, ut militibus venas catervatim ſecabant. Sed voto minime reſpondebat eventus; et ſane nunquam intermittentem niſi a plethora orituram praecavebit. Quoad catharſin ſtat longè altera ſententia; quippe ſi rite quam parum ſunt milites de cibariis eligendis ſoliciti in caſtris, quam ſaepe impeditur perſpiratio veſtimentis madidis tempore belli, et quòd bilis longè in corpore eſt perfectiſſimus liquor, quòd in vegetis, aetate florentibus abundat; et denique quòd aeſtu nimio, et labore ad putredinem accedit, animo perpendamus: mecum ſentient omnes, quòd multos ab intermittentibus aliiſque morbis immunes praeſtare poteſt, aeſtate aut autumno praecipue inſtituta evacuatio per alvum. Ergo ſi venter tardè officio ſuo fungitur, illum ſtimulare, auctor ſum; quippe omnium ſeculorum experientiâ conſtat, quod quo

major

major pravorum ſuccorum, in prima regione illuvies, eo in febribus popularibus, graviora vexant ſymptomata. Nimia venus praecipue funeſta, nil aeque corpus enervat. Ante ſolis ortum, et poſt occaſum (quia eo tempore coeli major gravitas) nunquam foras niſi officio coacti, prodire tutum eſt; multo minus in pratis ac locis paluſtribus (quippe ad ſomnum diſponunt) domire: hoc plerumque a milite evitare poteſt, et ſane maximi momenti eſt.

Si verò militaris functio, illos noctu egredi cogit; tabaco accenſo uti veſpere expedit, et mane cyathum amplum ſpir. juniperi haurire. Quibus ſpir. minus arrideat, allium edendum commendo: et ſi permittatur, focos quàm magnos accendant: hoc artificio noſtrates in AMERICA SEPTENT. iter faciuntes, ſe a muſcis et roribus venenatis, immunes praeſtant. CAROLINAE provinciae incolae, ſerpent. virgin. infuſâ in ſpir. ex ſaccharo confecto, omni mane utuntur; dum BATAVIAE habitatores ſp. juniperi ſumunt. Lautum verò victum, et a prandio coenaque vinum Hiſpanicum merum, multis nominibus praedico. Vino et catharſi nitroſâ, ab hac labe, quamvis aërem ab aegrotantibus inquinatum, per ſex

circiter horas quotidie hauriebam; et noctu nonnunquam egredi cogebat neceſſitas, favente numine, me immunem ſervabam. Lanulâ induti, et bene ſtragulis operti dormiunt incolae; lanulâ induti ſemper in publicum prodeunt; neque facile eſt dictu, quantum haec illis ſubſidio ſunt. Sed, ut finem faciam, aequum, et in Deo confidentem imprimis animum habere oportet: metus enim atque triſtitia omni veneno pejora ſunt, ubi de febre agitur epidemica; quippe nihil aequè corpori officit, morbiſque tam opportunum reddit, ac ſpei abjectio.

PARS

PARS TERTIA.

CASUS VIGINTI AD FEBREM ET PRAXIN ILLUSTRANDAM.

CASUS I.

Febris intermittens Autumnalis, febre continuâ praecessa.

BREVI poſt appulſum in HOLLANDIAM, miles *Dawſon*, ſanguinei temperamenti, annos ſupra 30 natus, noctu frigore ſubitô totius corporis, quod citò calor univerſus, ſitis magna, jactatio, inſomnia ſequebantur, corripiebatur. Mane ſequenti viſebam: ſigna febris ardentioris aderant, rubor faciei oculorumque, pulſus fortis, durus, citus, calor ingens, oris amaritudo, vomituritio; his acceſſerunt capitis, praecordiorum, lumborum, artuum oſſiumque (ut loquuntur milites) dolores. Statim ad libram mittatur ſanguis, bibat abunde liquores farinaceos, et capiat omni trihorio ſalis nitri ſcrupulum, et ſacchari albi ſemidrachmam. Veſpere vigent pari violentiâ ſymptomata; perdat eandem ſanguinis quantitatem. Noctu

jactatio,

jactatio, insomnia. Die secundo, aeque laborat; capiat statim emeticum. Hôc sedabatur vomituritio. Sed nil alvus ab initio fuderit; injiciatur clysma ex lactis semilibra, saponis veneti drachmis duabus, salis prunellae drachmis duabus, sacchari nondum a faecibus purgati semuncia. Die tertio, neque haec evacuantia profuerunt, saevius symptomata urgent, respiratio altior, facies coloratior, oculi micant, lingua aret; detrahatur sanguis ad uncias decem; addantur camphorae grana quatuor salibus nitri, &c. Meridie delirat; raso capiti applicetur epispasticum. Die quarto, adhuc aliena loquitur, febris vehemens; applicentur sanguisugae 4 temporibus. Satis sanguinis eduxerunt; pacatior, nec jactat adeo, delirat tamen. Applicentur tibiis epispastica aurorâ proximâ. Violenter noctu sudabat. Mens fere constat. Non opus est epispast. Liquoribus vinaceis, tepidis, promoveatur sudatio. Vespere, madet adhuc cutis, dicit se jam ab omni dolore esse liberum. Noctu somnus, mane febris quieverit. Ab usu salium abstineat, et cras cathartico leni cieatur alvus.

Triduo post, horripilatione, nauseâ, vomitu, febre, capitis, lumborum dolore, pondere, sudore corripiebatur. Decem horarum spatio

finiebat

finiebat paroxyſmus. Poſtridie, intermiſſio. Die tertio, circuitus iterum. Emeticum ſumpſit, horrore ingruente: hoc citò diſcutiebatur; ſed febris ferbuit magis, ſudatio ingens; veſpere intermiſſio; capiat elix. vitrioli guttas 20. Mane ſequenti, intermiſſio perfecta. Quoniam male fungitur officio alvus, moveatur carthartico miti. Die quinto, tremor, febris, ſudor, &c. Veſpere febris abeſt, ſed funibus quaſi conſtringitur thorax, et ſpiratio impeditur: mittatur ſanguis ſtatim ad uncias decem; et, niſi cras mane liberius ſpirat, applicetur parti affectae epiſpaſticum: dentur in poculis ſalis c. c. gr. 4 horâ decubitûs. Sexto die, miteſcit conſtrictio; detur omni bihorio cochleare unum miſturae ſalinae. Bis hodie alvum fudit, et jam libera eſt reſpiratio. Septimo, paroxyſmus fere eâdem horâ quâ priores, eodem modo ſolutus; hoc tantùm cum diſcrimine, quòd thoracis conſtrictio, et ſpirandi difficultas redierunt. Repetatur miſtura ſalina, et nunc demum admoveatur thoraci epiſpaſticum. Octavo, dolet tantùm pars emplaſtro excoriata, quae bene evacuat. Nunquam poſtea rediit thoracica conſtrictio. Paroxyſmum, rite typum tertianae ſervantem, poſt duos a-

lios

ios circuitus, corticis, addito ſale abſinthii, cum parva dein quantitate aucta, invaſi. Ante praelium Rocoux ceſſit, nec in hybernis rediit.

CASUS II.

Williamſtadt, Aug. 24. *Tertiana cum gonorrhoea poſtea quartana.*

JUVENIS quidam *J. B.* habitus tenuioris, ſanus, ſobrius, alacer, tertianâ, ſtatim poſt cephalalgiam, et cibi faſtidium 2 vel 3 dierum corripiebatur. Hodie, horâ ſecundâ poſt meridiem tremor, algor, ſeſquihoram durabant; evomuit bilis ſincerae ſatis largam quantitatem, febris, tunc anhelatio; ſincipite laborabat; leviter lethargicus, manabat ſudor ab ardoris initio copioſus. Noctu ſudor, ſed quantitate minutâ. Mane proximo apyrexia, parum capite dolet: perdat ſanguinis uncias octo, et cras horroris initio emeticum capiat. 2do, Eâdem horâ paroxyſmus, emetico egregie evomuit, idem ſpatium durabat, ſed mitior, noctu ſudor. Mane intermiſſio. Die ſequenti, pro tertia vice eâdem horâ, modô eodem finiens paroxyſmus. Nares parvam ſanguinis quantitatem ſtillaverunt ardoris tempore,

pore, ſed nunquam poſtea. Hôc modo bis iterum circuitus rediit. Tandem corticis ſemidrachmam bis die quo febris aberat propinare auſus ſum. Hôc remedio, interpoſitis nonnunquam amaris, citò febris duos dies intermiſit. Primo itinere, a caſtris Bredanis ad vicum TILBOURG, rubore ſuffuſus et fere lachrymans, mihi de ſanitate roganti, gonorrhoeam die fere eodem quo febris primo invaſerat, apparuiſſe, quae temperantiâ et evacuationibus ante profectionem mitior evaſerat; at in itinere et penem valdè intumuiſſe, et inguen jam dolore lancinanti correptum eſſe reſpondit. Penis unguento mercuriali linatur, et inguini dolenti applicentur emplaſtri mercurialis et diachyli cum gumm. *ana* drachmae 3 ad alutam extenſae. Die et nocte ſequenti iter fecimus. Hoc adeo dolor exacerbebatur, ut centum paſſus, quin humi caderet, ambulare nequiret; quapropter equitare juſſi. Labore hôc nimio effectus inſolens producebatur; quippe mane poſt, RUREMUNDAE, et dolor et tumor imminuebatur et triduo penitus detumuerant inguen et penis ſine dolore. Gonorrhoea hinc ſatis largum incrementum cepit, et febris iterum apparuit. Sed nullum fere remedium ante reditum in

hyberna,

hyberna, Octobris postremo, ad hostem duplicem domandum metu frigoris et militiae labore sumpsit, quando electuarii lenitivi cum pulvere patrum dosin bis die, febre absente, propinavi. Hôc, gonorrhoea, praesertim balsamo capivi opem ferente, tandem sistebatur; sed paroxysmum solitum adhuc semper post meridiem invadentem, hodie Novembris 20. horâ consuetâ expectat. Statim dosin electuarii, ex corticis uncia, salis absynthii drachma, theriacae andromachi drachmis duabus, et syrupi sacchari quantitate sufficienti, compositi capiat. Hôc factum est, ut non corripuit ante noctis 10 horam. E somno expergefactus, nullus tremor, levis pandiculatio, febricula sine dolore capitis trium horarum spatio sudore miti soluta. 21. Capiat semel electuarium hodie, et febrem expectet. 22. Heri paroxysmus nullus, et hodie valet. Capiat bis electuarium. 23. Capiat semel, quippe hodie expectandus est paroxysmus. Noctu invasit. Padiculatio leviuscula, calor vix auctus: sudor modicus: quartanae typum sic per duos alios circuitus servavit; et tunc evanuit penitus. Ad medium mensis sequentis, electuarium minore quantitate, et amara in

ſpiritu juniperi infuſa, quotidie ſumpſit; quando ex xenodochio integer diſceſſit.

N. B. In reditu ad hyberna alternis diebus invaſit.

CASUS III.

Febris quartana longè omnium acerbiſſima quam hac hyeme curabam, cum dyſenteria, brachii, et lateris torpedine, pſora et furunculis.

Huesdenii, 1746.

MILES quidam *M. W.* ſobrius, et ſatis ſanus, caſtris hybernis, anno 1745, febre tertianâ immani, Novi-Castelli corripiebatur: a meridie ad veſperem diei inſequentis durabat. Symptomata rite procedebant, v. g. algor, febris, dolor lumborum, ſudor, ſanitas. Emeticis, et affatim cortice peruviano ingeſtis, tandem convaluit; et uſque ad menſem Septembris, anni 1746, quando epidemicè in Williamstadt increbuit, integer manſit. Ibi et morbus erat adeo mitis, ut, emetico ſemel et floribus chamaemeli pro jentaculo adhibitis, ſiſtebatur; nec poſtea in itinere redibat, donec legio Huesdenii erat, quando typum quartanae aſſumpſit. Nov. 14. Bis febre laboravit; hodie

hodie emeticum ſumat; nimis leniter egit vomitorium. 15. Capiat fortius. Tremor emetico minuebatur, et caetera ſymptomata miteſcebant. 18. Noſocomium poſt meridiem viſitans, illum tremore, capitis, lumborum, genu doloribus correptum vidi. Horâ poſt, ferociebat febris; veſpere ſymptomata miteſcunt, et ſudore diffluit. 19. Apyrexia. Capiat bis doſin electuarii febrifugi, hujus unciae unicuique additâ theriacae drachmâ. 20. Ut heri. 21. Paroxyſmus poſtremô violentior; ſcrobiculi cordis, et lateris dolores infeſtant. Mittatur ſanguis ad uncias 15: noctu bibat abunde liquores tepidos ſale nitri dilutos. Noctu nulla ſudatio. 22. Parum inſanit. Ter hodie cum torminibus depoſuit. De latere adhuc queritur. Febris mitior. Syncope e lecto ſurgenti. 23. Noctu nulla ſedes. Quies delirio interrupta. Hodie lingua alba, arida. Ferocit febris; tremit. Tremoris tempore cutis calor, internè algor, alvus cita. Detrahatur ſanguis ad uncias decem, injiciatur clyſma eccoproticum; et niſi remittat valde, applicetur epiſpaſticum capiti raſo. Remiſit, noctu ſudor, ſomnus. 24. Adhuc tormina, cum ſedibus mucoſis. Febris evaneſcit. Utatur decocto albo, additâ vini

rubri

rubri ſemilibrâ unicuique lagenae, pro potu ordinario. 25, et 26. Apyrexia: ſed brachium prae torpedine ad os attollere non poteſt. Latus dextrum eodem modo afficitur. Fricentur bene pannis aſperis calidis partes torpidae. Capiat h. ſ. ſalis c. c. grana ſex, in liquore idoneo. Bene alvus officio fungitur. 27, et 28. Quotidie bis ſumit ſalem volatilem, nec adeo torpidum eſt brachium. Inungatur fortiter poſt frictionem ſequenti remedio. R. ſpiritus terebinthinae aeth. unc. quatuor, olei olivarum unc. tres, ſalis tartari ſemunciam, ſpiritus vini rect. unc. ſex, miſce. Noctu praecipue aures tinniunt omni quarto die, cum ſenſu frigoris. Detur quotidie corticis peruviani drachma: lumbis aliquando dolet quaſi luxati fuiſſent. 30. Torpor abierit. Venter adſtrictus. Capiat tincturae ſacrae unciam. Dec. 2. Heri ſe frigori incautè exponentem, et febris, et dyſenteria, et lateris, cum difficili ſpiratione, et brachiorum torpor, iterum invaſerunt. Eadem remedia repetantur, et praeterea partibus torpidis adhibeantur epiſpaſtica. 4. Non adeo torpida ſunt latus et brachia; nec tam frequenter dejicit cum borborygmis. 8. Convaleſcit. Remedia continuentur: unguentum epiſpaſticum et brachiis et lateri adhibetur

quotidie;

quotidie: bene officio fungitur. 14. Vultu, viribus, appetitu valet: e lecto surgit. Usum corticis, et salis c. c. continuet. Jan. 2. Alvus jam ad pristinam sanitatem restituitur; sed tempestas adeo frigida, ut foras egredi non possit. Psora per totum corpus. Floribus sulphuris per os sumptis, furunculi hujus vice in diversis corporis partibus apparebant: hi, emplastro mercuriali adhibito, maturabant.

N. B. Hi sunt solennes apud milites, hoc anni tempore. Notetur quoque, quòd leucophlegmatiae rarissimè hujus anni febres excipiebant. Quidam nostrae legionis corripiebatur, in xenodochio ad Oosterhoute, tumore aquoso corporis totius, qui mane, ut mihi narrabat, mole semper augebatur. Hic morbus quinque purgantibus, &c. rebellis, unâ nocte, diuresi copiosâ, penitus detumuit; et quamvis postea febre intermittenti affligebatur, nunquam rediit.

CASUS IV.

Tertiana pleuritide, et gaſtrocnemiorum torpore, dolore praeceſſa.

WESTMALL. *Vere* 1747.

Aprilis 20. HERI *Thomas Holmes*, miles robuſtus, ſobrius, ſanguinei temperamenti, olim morbis acutis obnoxius, in itinere ab ALPHAIN (quod erat longum et laborioſum) ad WESTMALL, ſiti, languore, calore et frigore alterno, lateris ſiniſtri dolore lancinante, tentabatur. Poſtquam ad caſtra ventum, ſymptomata excandeſcebant, et noctem admodum inquietam egit. Hodie viſebam. Tuſſis aliquando laceſſit; nil expectorat; calor ingens; ſitis aucta; inſpiratio dolore interrupta; pulſus plenus, citus, duriuſculus. Perdat ſtatim ſanguinis libram; et capiat in poculis ſalis nitri grana decem, camphorae grana quatuor miſce, bis die. Veſpere miteſcit dolor thoracis, inſpirat liberiùs. Laceſſit nonnunquam gaſtrocnemiorum torpor; identidem horreſcit. Noctu ſomnus. 21. Pleurâ adhuc laborat. R. ſalis c. c. ſemidrachmam, aceti deſtillati uncias duas, laudani liquidi ſemidrachmam, aquae fontis unciam unam,

miſce;

misce: hujus capiat semunciae quantitatem ter die. Vespere madet cutis; longè mitior dolor; hodie dejecit. 22. Liberè spirat. Meridie horror, tremor, calor, febris, capitis lumborum dolor; dolet etiam parum thorax, dolent gastrocnemii; delirium nonnunquam, sudor tandem. Intermissio; languor. Capiat emeticum horâ septimâ vespere. Spasmos excussit; somnus. 23. Intermissio. 24. Paroxysmus; et sic quater: post secundum circuitum corticem propinabam, cujus uncia morbum penitus abegit.

CASUS V.

CASUS qui sequitur, a vermibus pendere videtur: sed quoniam periodicè symptomata redierunt, et febris intermittens in legione grassabatur, quaedamque symptomata saltem rara in morbi decremento apparebant, hìc annectere libet.

April. 14. MACILENTUS quidam, annos triginta natus, non amoeni aspectus, ad tentorium meum, de febre intermittente (ut loquebatur) quibusdam symptomatibus insolentibus comitata, conquestus veniebat. Friget subitò; frigus

frigus citò excipit calor; difficiliter ſpirat; infra coſtas nothas ſiniſtras, dolore quaſi rodentè vexatur; cibos deſiderat, apportatos nauſeat. Elapſâ horâ unâ vel alterâ, ſede plerumque, a torminibus rodentibus, et febre, liberatur. Spirat tamen ſemper cum quadam difficultate, et ſic quotidie vexatur. Interroganti, num unquam vermes in ſedibus obſervaverat? ſe aliquoties vomitu teretes ejeciſſe per os et nares, immo vermes aliquando ore prorepſiſſe nullo cogente vomitu, reſpondit. Detur ſtatim bolus cum calomelanos granis ſex; repetatur horâ decubitûs; et cras capiat pulveris jalappi ſemidrachmam. His ter dejecit cum novem vermibus: attamen horripilatio, febricula; h. ſ. calomelas iterum in conſerva roſarum; et poſtridie catharticum. 16. Bene fudit alvum purgans, et vermes nonnullos ejecit: veſpere verò paroxyſmus; ſedes eſt illi judicium. Repetatur bolus mercurialis, et cras purgans. 18. Nullus fere rodens dolor, aſthma tamen. Semper catharticum vermes ejicit: quotidie verò paroxyſmus cum calore ſemper unam, immo duas, nonnunquam et tres horas durante, et tunc et capite et lumbis laborat. 19. Exercitus ad Westmall iter fecit, horâ tertiâ matutinâ: ſed quoniam vehicula pro aegrotantibus

non

non in promptu erant, ante 21 ad castra non accedit. Iisdem symptomatibus vexatur; verba verò edere distinctè non potest, et nunc paroxysmi in somnolentiam abeunt, quae finitur faecum dejectione copiosâ. Detur illi pulveris stanni uncia in syrupo sacchari ad duas vices, et purgetur cras mane. 23. Heri vermes copiosè purgavit, et vespere lenior paroxysmus: loquitur distinctiùs hodie, et ab omni symptomate immunis. Vespere post prandium atrox paroxysmus corripuit; et jam sinistrum femur ad digitos usque immobiliter friget. R. salis c. c. grana decem, camphorae grana quatuor; misce. Intestina enemate ex tabaci decocto stimulentur, et partes affectae pannis asperis fricentur, operiantur. 24. Cum mobilitate calent; nauseat adhuc, et tumet subitò nonnunquam abdomen. R. pulveris jalappae ipecacuanhae ad grana quindecim, calomelanos grana quatuor; misce. Capiat statim. Ανω κ̀ κατω egit, et immunem a paroxysmo servavit hodie. 25. Appetitus melior. Paroxysmus nullus. 26. Capiat iterum bolum ex mercurio et radicibus. 28. Omnia symptomata abierint. 30. Integer.

N. B. Fere omnes, qui febre periodicâ hoc tempore laboraverunt, tusses corripuere.

CASUS VI.

Tertiana nephritide praecessa.

WESTMALL.

MILES quidam, olim dolori nephritico parens, semper intemperatus, annos 34 natus, habitûs sanguinei, Aprilis 23, postquam milites mane ad nomina responderant, dolore nephritico, vomitione, inguinis et pubis molestiâ, urinae difficultate, corripiebatur. Mittatur sanguis ad libram. Detur clysma terebinthinatum statim, et capiat cochleare omni trihorio sequentis haustûs. R. spiritûs Mind. semunciam, laudani liquidi guttas sexaginta, aquae cinnamomi tenuis uncias duas; misce. Vespere sedantur dolores; vomitus nullus, at nausea. *N. B.* Postquam primam julapii dosin sumpserat, magnam citò bilis variegatae quantitatem evomuit: noctu quietior. 24. Adhuc difficultas urinae. Adde julapii unciae unicuique, salis absynthii semiscrupulum. Vespere mingit copiosè; febris nulla. 25. R. pulveris jalappae grana viginti, cremoris tartari grana decem; misce: capiat statim. Vespere ter dejecit; et jam ab omni dolore liber. 26. Paroxysmus nephriticus, sed multò mitior.

Repetatur

Repetatur julapium cum ſale abſynthii; in caſtris ſemicupio uti non datur. 27. Fere totus abierit: facile urinam reddit. De ſenſu doloris potiùs (quem Britanni *Soreneſs* appellant) in renum regione conqueritur: ab omni moleſtia liber, ſomnus altus, ex quo, horâ ſextâ 28 mane, horripilatione, aegritudine, calore, febre, ſudore, expergefactus eſt: quatuor horas duravit. Nullus dolor nephriticus. Apyrexia. 29. Intermiſſio. 30. Primô mane febris, cum iiſdem fere ſymptomatibus. Parum capite et lumbis laborat. Pulvis contrayervae, et ſal nitri, in poculis, praeſente febre, et intermittente, pro remedio. Maii. 2. Mane circuitus multo lenior. Capiat veſpere corticis drachmas duas. N. B. Hac tempeſtate citiùs corticem propinabam, et doſin augebam, quam autumno 1748; quia citò cum Gallorum copiis manus conſerere expectabamus. 3, Ad SCHILD caſtra poſuimus. Cum commilitonibus iter fecit: bis iterum febris tremore praeceſſa unciâ corticis penitus curabatur.

N. B. Hoc tempore ſaepe corticem dedi, quamvis lumbi doluerunt, nec fruſtra. Autumno 1748, nunquam fere praeſente lumbagine praeſcripſi; immo, nonnunquam vertiginoſis,

nosis, hac tempestate, cum successu ingessi; at 1748 nunquam.

CASUS VII.

Febris tertiana dolòre àuris et faucium praecessa et comitata.

SCHILD.

MILES quidam, 40 fere annos natus, sobrius, vegetus, laboris patiens, Maii 4, ante prandium, dolore pungente lancinante auris internae sinistrae, afficiebatur. Quando loquitur, verba per aurem transire cum doloris augmento videntur. Febricula. Perdat sanguinis duodecim uncias; et foveatur pars laesa infundibuli ope oxycrotio tepido. Lanâ obturetur auris. 5. Dolor somnum usque ad horam secundam matutinam impedivit. Brevi post, dormientem pandiculatio, horror, frigus, quae citò cephalalgia, lumbago, dolor auris auctus excipiebant; et denique mentis alienatio sudorque excitabant. Deglutitio difficilis; fauces inflammantur cum tumore. Applicetur nuchae epispasticum acre: bibat liquores tepidos cum succo citreo. Vespere symptomata urgent: stimuletur alvus enema-

te

te purganti. Noctu somnus. 6. Mens constat; nulla febris; nec aures nec fauces dolent, nisi vel sternuat, vel nasum emungat. Capiat cremorem tartari in poculis. Vespere febris recrudescit, dolor auris ad mentum usque se porrigit. Foveatur oxycrotio: perdat iterum sanguinis uncias decem. Crustâ albidâ, viscidâ, quam Angli *Buff* vocant, obducebatur. 7. Apyrexia fere. Doloris intermissio. 8. Mane tremor, frigus, febris saevior, delirium. Capiat spiritum nitri dulcis in liquidis; et, nisi mens constet, ante vesperem irritetur alvus enemate. Meridie sudor: capiat pulverem contrayervae in salviae infusione tepida, quam bibat abundè. 14. Ter paroxysmus, cum auris dolore. Semel emeticum sumpserit, et corticis semunciam. 16. Officio fungitur militari, et heri iter cum commilitonibus fecit. Capiat nonnunquam theriacam Andromachi, donec penitus convaluerit.

N. B. ÆGROTANTES nostrae legionis, ante 9 Maii, in tentoriis pro illis positis, in acie extrema, erant: hôc, saepe sudatio turbabatur, et potiones alimentaque idonea saepe illis defuerunt: nono verò Maii legio sola ad BROCHAN iter fecit; ibique domus rustici satis commoda aegrotos recepit: et sic plerumque per reliquam hujus anni militiam.

CASUS VIII.

Febris tertiana cum pustularum eruptione.

D. *Thomas Lyster* tunc militum ductor, sed postea ad majorem imperii gradum, quo nunc dignissimè fruitur, evectus, 12 Maii, postquam noctes quasdam sub dio stationes egerat, hodie se lecto frigens, inquietus, et quasi contusus contulit, Brevi calor, febris, capitis lumborum dolor, pericardii molestia. Bibat abundè serum rhenanum; febre declinante, et erumpente sudore, vomitio bilis et phlegmatis sanguine tincta. Vespere dolet caput, calor naturalis; quies interrupta. 13. Cephalalgiâ, et cardialgiâ, autumno superiore, intermittente satis longâ et saevâ laboraverat. Emeticum propinare formido, ni praecedat venaesectio; venaesectionem verò ille extimescit. Equitando malum discutere tentet. 14. Equo insidens, horripilatione, quam excussit citus tentorium reditus, corripiebatur; febris inde ferocior, dolorum exacerbatio. R. lap. contrayervae in poculis; febris declinatione, pustulae albae, frequentes, parvae, nasum, labia, os internum obsiderunt. Sudor priore parcior; dolorum remissio; in sero capiat laudani liquidi

quidi guttas ſedecim: ſomnus altus. 15. In itinere apyrexia. 16. Febris omnium ſaeviſſima; ſanguinem mittere tandem permiſit ad uncias ſedecim veſpere; ſudor ingens, dolorum mitigatio. 17. Febricula. Capiat elixirem vitrioli in poculis, et malum citreum ſugat. Paroxyſmo remittente ſemper vomit ex quo venaeſectio inſtituebatur. Nullum cum bile ſanguinem fundit. Poſt meridiem apyrexia. Impensè corticis exhibitionem petit. Capiat corticis drachmam in potu *caffé*. Junii 1. Quotidie corticis drachmas duas capit. Nullus paroxyſmus. Utatur amaris ſequentibus. R. rad. galangae, gentianae *ana* drachmas tres, corticis aurantiorum drachmam unam, ſalis abſynthii ſemidrachmam, nucis moſchatae N° un. chalybis in nodulo drachmas duas: infundantur in vino rhenano. Capiat cyathum bis die. Vertente autumno febris rediit; ſed citò amaris et venaeſectione abiit; nec poſtea anno 1748 recidivam paſſus eſt.

CASUS

CASUS IX.

Tertiana cum cholera morbo, &c.

SCHILD.

ADOLESCENS vegetus, plethoricus, novus miles, Gallo-Britannus, vespere Maii 4. subitâ aegritudine, nauseâ, vomitione, frigore, scrobiculi cordis dolore, torminibus, dejectione frequenti dolorosâ corripiebatur. Noctu, calor, sitis, symptomatum incrementum, nisi quando aquam fontanam ingurgitavit. Delirium. Decurionis incuriâ aegrotâsse ignorabam, et erat morienti similis, quando 5to visebam. Adhuc bilis vomitio, adhuc dejectiones. Dolet, delirat, sitit, omnia nisi fontis aquam rejicit. Pulsus debilis, frigus extremorum, lipothymia. In aquam ferè fervidam pedes immergantur; alvus clysmate edulcorante oleoso mulceatur. Naribus admoveantur salia volatilia. Et denique capiat laudani liquidi guttas viginti in fontis cyatho. Meridie symptomata remittunt: lingua aphthis dolet: fauces quasi excoriantur: impensè aquam frigidam desiderat: magnum inde levamentum percipit. 6. Pulsus hodie plenior. Sanguinis uncias duodecim perdat. Ventriculus

culus conſtat magis: adhuc tormina, ſedes adhuc. Capiat ipecacuanhae ſemidrachmam; decem minutis rejecit, ſed probè evomuit. R. ſal. abſinthii drachmam unam, ſucci citreorum q. ſ. donec effervescentia quieſcat, adde tunc aquae cinnamomi ſpirituoſae uncias duas, ſpir. ſalini aromatici drachmas duas, aquae fontis uncias tres; miſce. Hujus capiat cochleare unum omni trihorio. Capiat h. ſ. opii puri granum. Noctu ſomnus. 7. Apyrexia, dolorum ceſſatio, pergat in uſu medicamentorum. Poſt meridiem, dolet, tumet, rubet malum ſiniſtrum. Horripilatio horarum trium, febris ad noctis decimam horam, in febris ſtatu puſtulae circa labia erumpebant. Iterum cholera morbus non miſturâ Riverii, ſed aquâ fontanâ unicè ſedandus. Noctu ſudor. 8. Intermiſſio. Malum tumet magis. Adde miſturae Riverii unciae unicuique corticis ſemidrachmam, quam capiat ter die cochleatim. 9. Parvus paroxyſmus, tribus horis, ſudore ſolutus. Paroxyſmi tempore a cholera morbo immunis. Capiat ſemel miſturam veſpere. Ter poſtea periodicè rediit. Tandem corticis et miſturae uſu terga dedit, nec unquam poſtea laceſſivit.

X N. B.

N. B. Hôc caſu primò aquam fontis in cholera ſedanda aliquid valere edoctus eram; quod aliorum exempla poſtea comprobabant. Neque tamen ſemper cum ſucceſſu uſurpatur, et tunc epiſpaſticum ventriculo appoſitum, vomitum ſaepe ſedat.

CASUS X.

Febris intermittens quotidiana, quam praegrediebatur febris lenta periculoſa.

Ann. 1748.

VIR quidam, nomine *Ford*, procerae ſtaturae, ultra annos 40 natus, elapſâ ſeptimanâ, ſymptomatibus quae hâc tempeſtate febrem intermittentem comitabantur, corripiebatur. Hiſce per venaeſectionem et emeticum diſcuſſis, integer per ſpatium 2 vel 3 dierum manſit. Hodie, Aug. 12. febricula, calor, ſitis, thoracis dolor, impedita reſpiratio. Mitt. ſang. ad uncias duodecim. 13. Pulſus exilis, vix percipiendus: cutis frigiditas, oculi immoti, ſtupor, quaeſtionibus reſponſa non dabat, ſenſibus internis orbatus; applicetur ſtatim epiſpaſticum quam acre ad curſum arteriae

teriae cervicalis *. Detur vinum cum cort. cinnam. et nuc. moſchata, ad quantitatem unciar. duarum ter de die, et capiat bolum ſequentem omni trihorio. R. rad. ſerpent. camphorae, *ana* grana octo; miſce in idoneo quovis ſyrupo. 14. Supinus cubat; pulſus plenior; quoad caetera mutatio nulla, alvi adſtrictio per quatuor dies; injiciatur clyſma ex tabaci decocto confectum, adde ſal. c. c. vol. ſcrup. unum; miſce; nec inde tamen venter fundebatur; acrius detur h. ſ. Brachiis internis epiſpaſtica applicentur. Loquenti oculos obvertit, parat reſpondere, ſed lingua renititur. Heſternâ nocte dejecit. Repetatur clyſma bis, repetantur bol. et vinum, et plantas pedum nunc valdè frigidas, ſinapiſmis acrioribus calefac. 16. Pulſus plenior, lentior, cutis calida, mens

* Annon anatome harum arteriarum ſucceſſûs epiſpaſticorum hiſce partibus applicatorum, rationem reddit? Oriuntur ex truncis cordi proximis a convexitate inſignis arcûs erumpentibus. Ad cerebelli interiorem potius quàm exteriorem ſubſtantiam diſtribuuntur. Omnino ſexta ſanguinis (anne ſolidioris laeviorîſque?) pars, cum magno impetu, illuc defertur. Ligatis carotidibus (tradente expertiſſimò anatomico HALLERO) non ideo perit animal, et ne quidem valdè laborare videtur. Annon aliquid quoque faciunt ad ramum retrogradum, qui per omnem piae matris longitudinem deſcendit, et tandem ad coccygem exit et evaneſcit? Vid. prim. lin. Phyſ.

mens ferè conſtat, alimenti deſiderium, dejecit bis hodie ſine injecto clyſmate; ſudor nullus. 17. Mens planè conſtat. Capiat tamen et bolos et vinum: ſint alimenta eupepta, &c. 20. Egreditur quotidie. 23. Horripilatio quam brevi, febricula ferè ſine doloribus ſudorque duarum horarum ſpatio finiens excipiebant. 24. Paroxyſmus ferè eâdem horâ, certe iiſdem ſymptomatibus, et eodem ſpatio finiens. Et tunc plena intermiſſio. R. cort. peruv. ſemidrachmam, ſerpent. ſemidrachmam. Capiat bis die, quando febris abeſt. 25. Paroxyſmus et brevior et mitior. 30. Triduo proximè elapſo, paroxyſmus nullus. Septemb. 4. Tardè ad integritatem redit. 10. Valet.

CASUS XI.

Febris tertiana cum dyſenteria cruenta, dyſuria, vermibus viridis coloris, et efflorescentiis. Ann. 1748.

MILES, ſat robuſtus, annos 34 natus, undecim diebus elapſis febris tertianae ſymptomatibus ſolennibus opprimebatur. Dolor capitis, etiam febri abſente, manſit: vicibus partitis, ad hocce ſymptoma debellandum,

uncias

uncias ſanguinis quadraginta perdidit. Quarto die ab invaſione, emeticum ingruente horrore ſumpſit; quo diſcuſſo, exacerbabantur febris et dolores per ſeptem horas. Nullus verò ſudor ſequebatur: ſed ſaepe dejecit abſque torminibus, et cruore. Die ſeptimo, et venter cruciabatur, et faeces tinctas ſanguine ſaepius fudit: cephalalgia, ſitis, nullum cibi deſiderium, teneſmus. Repet. rad. ipecac. ſemidrachma ſtatim. Veſpere eadem ſymptomata. Mittatur ſanguis ad uncias decem: clyſma emolliens, ex ſero lactis, ol. oliv. et ſaponis parva quantitate. Die nono, minuuntur ſymptomata: faeces mucoſae, cruor nullus, vertiginoſus aliquando. Hodie, viz. Jul. 31. Ex quo dyſenteria corripuit, a tertiana immunis manſerit. Sumat electuarii Diaſcordii ſcr. un. h. ſ. Auguſt. 1. A ſumpta mane rhei ſemidrachma, alvus quater fudit: materies fuſa erat coloris crocini. Veſpere rediit capitis dolor; ſomnus interruptus. 2. Bis mane dejecit: muci quantitas minuitur, bilis augetur. Teneſmus urinalis urget: cochleatim, et cum dolore, urinam coloris rubri, quae ſanguinem in matula deponit, reddit. Injiciatur bis quotidie clyſma terebinthinatum. Hauriat ſaepe infuſi ſeminis lini, addito limonum ſucco, cyathum;

thum; et, poſt ſingulas ſedes, ex electuario ſequenti, ad piſi magnitudinem capiat. R. electuar. e ſcordio dr. duas, rhe. elect. dr. un. ol. juniper. gut. decem; miſce. Quamvis noctu rarius e lecto ſurgit, noctem plerumque inſomnem agit. 3. Quinquies dejecit cum dolore: mane pacatior eſt. Omni veſpere de ſenſu ponderis, et ſubita inflatione in regione ventriculi quae eructando minuuntur, conqueſtus eſt. 4. Quater ventrem liquabat cum torminibus. In prima ſede, vermiculos viginti virides, latos, cum pedibus ad ventres appenſis, numerabat. Erant faeces flavae et mucoſae. 5. Appetitus vegetior; dormivit meliùs; fere nullus ponderis ſenſus; inflatio nulla. Bis tantùm hodie dejecit. Sumpſit quotidie elect. prius praeſcriptum ad 20. Sedes, et tormina ſenſim minuebantur. Urinam placidè reddit copioſam; et reliqua ſymptomata adeo miteſcebant, ut me inſciente ab electuarii uſu deſiſtebat. Sed miſellum citò poenituit: quippe 24 Auguſt. ſaeviorem impetum dyſenteria fecit, vicies dejecit: ſedes, ex muco, bile, et ſanguine miſtis conſtabant; ex his et quaedam erant omnino cruentae; febris nulla, ſitis vehemens. Repetatur ſtatim rad. ipecacuanhae ſemidrachma. Ad dolores mitigandos,

julapii

julapii ſequentis cochlearia duo horâ decubitûs ſumat: R. aq. font. uncias quatuor, ſpir. ſalin. aromat. ſemidrachmam, laud. liquid. Sydenh. drachmam unam; miſce. 28. Symptomata mitiora; ſedes ſunt adhuc cruentae. Hodie efflorescentias quaſdam rubras a piſi ad nucis moſchatae magnitudinem, et brachia et corpus, thoracem praecipuè foedantes, mihi monſtravit: per ſeptimanam elapſam continuaverant. Sitis, cibi deſiderium; attamen citò quaecunque eſculenta per ſedem indigeſta reddit. A cibo redit ponderis ſenſus inquietus, quod ſedes brevi inſequentes abigunt. Dubius quid facerem haeſi: tandem, ſymptomatibus rite perpenſis, electuario priùs praeſcripto corticis drachmas duas jungebam, quod capiat ter de die. R. etiam calam. arom. galang. ad drachmas duas et ſemis, cort. peruv. drachmas duas, gentian. drachmam unam et ſemis, ferri in nodulo ſuſpenſi ſemidrachmam, vini Hiſpanici (vulgò *mountain*) libram unam et ſemis; miſce. Stet ad focum per duos dies: hujus hauriat jejuno ventriculo unciam unam bis vel ter nycthemerae ſpatio. Sit *thee* ex floribus chamaemeli confectum pro jentaculo. Horum uſu pertinaci, dyſenteria et reliqua ſymptomata abierunt: ſed Septembris initio

rediit

rediit tertiana, quam citò cortice et amaris profligabam. Ad finem Septembris, a ſuſcepto frigore dyſenteria iterum invaſit: nec convaluit, ante reditum in SCOTIAM.

CASUS XII.

Febris quotidiana intermittens (cum alvi notabili aſtrictione) quae poſtea tertianae typum induebat. Ann. 1748.

JUVENEM quendam, nomine *Williams*, vegetum, alacrem, Jul. 28. capitis, lumborum, extremitatumque dolor iniit; quae horripilatio, et totius corporis frigus citò ſequebantur. Brevi febris, calor, ſitis, bilis vomitio, quae colicus dolor ſaevus, cum alvi aſtrictione, fere intolerabilia reddidit. 29. Viſebam: ſymptomata erant aequè immitia, pulſus plenus, celer; mittat ſanguinis ad libram, et capiat ſtatim pulveris communis purgantis ſemidrachmam; injiciatur et clyſma emolliens poſt ſumptum catharticum. Semel tantùm dejecit. Febris et dolores mitiores, tormina aequè ſaeva. Repetatur clyſma: magnam inde faecum quantitatem cum egregio levamine fudit. Veſpere febris exacerbatio, iterum mit-

tatur

tatur ſanguis ad uncias duodecim. Sudor, quies. 31. Capitis dolor non immitis, ſanus quoad caetera. Aug. 1. primô mane febris invaſit quem ſudor tandem veſpere manans curavit. 2. Mane intermiſſio plena. Sed horâ undecimâ, horror, tremor, nauſea, febris, ſitis, capitis moleſtia aucta, articuli dolent: ſudor qui adhuc 3. non reſtinguitur. *N. B.* Nutricis incuriâ emeticum tempore horroris non ſumpſit heri. A prandio febris nulla, dolores pacantur. 4. Adſunt ſymptomata paroxyſmi ingruentis: capiat ſtatim emeticum ſolenne. Vix tremuit. Febris quietior, dolebant et caput et lumbi, ſudor. 6. Sudat, adhuc adeſt et calor: prae debilitate ſtare nequit. Nec dolor, nec ſitis, cibos appetit. Alternis diebus per ſeptimanam elapſam enema emolliens eccoproticum praeſcripſi, ſed hiſce ne vel ſemel motam alvum fuiſſe invenio. Detur potio purgativa: bene officio fungebatur. Veſpere paroxyſmus. Tremor nullus, ſenſus frigoris brevi finiens: febris mitior. Sudor nullus. 7. Horâ nonâ, tremor, nullâ febre, calore nullo ſecutus, ſex horas durans; dormivit placidè. Et 8. calor, ſudor, ſanitas. Veſpere verò paroxyſmus, febris, ſitis, inſomnia, dolores. 9. Sudor, quies, integritas: a ſexto,

absente febre, corticem, cum sale absinthii, nitri, et rhabarbaro, in electuarium confectum, ad quantitatem nucis moschatae, quotidie deglutit. 10. Intermissio. 11. Ad vesperem intermissio, quando horripilatio ad diem insequentem scil. duodecimum durans, quam calor, sudorque tandem profligabant. Per tres dies proximè elapsos, alvus ne vel semel fudit. Finitâ febre, capiat pulveris cathartici scrupulos duos. Vespere nulla sedes: injiciatur enema sequens. R. lactis recentis semilibram, vitelli ovi unius, olei olivarum unciam unam, jalappi semidrachmam. Alvum bis exoneravit. 13. Mane intermissio. Vespere calor absque dolore. Capiat elix. vitrioli guttas quadraginta. 14. Mane calor et sitis. Capiat pulveris contrayervae comp. cum sale nitri semidrachmam in hausto quovis calido. 15. Intermissio quando semper electuarii febrifugi scrupulos duos omni trihorio vorat. 16. Intermissio, sed ut simul surgere vel ambulare nititur, vel animi deliquium patitur, vel caecus fit subitò. Tussit aliquando, et hinc dolet caput. 17. Febricula, sitis sudore discussa: cibi desiderium. 18. Erectum adhuc corpus tenere non potest. Alvi adstrictio. Capiat pulveris alvum ducentis scrupulos

ſcrupulos duos; copioſè dejecit. 20. Intermiſſio. 21. Intermiſſio. Perſtat in uſu electuarii compoſiti; veſpere, febricula, ſudor. 22. Intermiſſio. Appetitus acer, color vegetior, ambulare poteſt, veſpere febris. 23. Intermiſſio. 24. Horror, oris amaritudo, nauſea, capiat emeticum cum calomelanos granis tribus, reſinae jalappae grana ſex; citò febricula, ſudor ſequebantur. Ανω ϗ κατω evomuit. 25. Intermiſſio. Capiat electuarii febrifugi drachmam unam mane & veſpere, donec integritas redeat. 26. Tremor, febris, &c. et ſic tertianae typum ſervabat ad Septembris initium quando penitùs quieſcebat, nec rurſum aegritudo accidebat.

CASUS XIII.

Febris intermittens, poſtea continua cum perdita memoria, ſingultu, labiorum, palpebrarum ſpaſmis, et facie hippocratica: remittens, et denuo intermittens.

MILITEM quendam, nomine *Prichard,* Gallo-Britannum, robuſti habitûs, temperamenti bilioſi, Auguſt. 2. horripilatio, cephalalgia, lumborum, et a tarſo uſque ad

genu

genu dolor, tremor fesquihorae, calor, febris, invaserunt, sudore, quiete judicata. 3. Mane dolor lancinans sinistri lateris supra mammam, respiratio difficilis, febris, dolorum heri renovatio. Perdat statim sanguinis libram unam. Bibat abunde liquores tepidos, farinaceos, cum spiritûs nitri dulcis quantitate sufficienti. Phlebotomiâ dolores levabantur: sudor nullus, somnus altus. Mane nec dolor nec febris; vespere verò tremor, dolor, (exceptâ pleuritide, quae nunquam postea lancinabat) febricula sine sudore, somnus. 5. Intermissio, malè tamen dormivit. 6. Intermissio, noctu tremor duarum horarum. Dolores ut antea; nec febris nec sudor, quamvis liquores tepidos, &c. abundè, cum pulvere contrayervae, hausit. 6. Augetur dolor, dolent oculi et sinus frontales, febris. Mittatur sanguis e vena jugulari ad uncias sedecim. A prandio non dolet caput, nisi tussit. Nulla febris, mediâ verò nocte, tremor trium horarum, dolor, sitis, febricula. Et 7. sudor viscosus per totum corpus diffusus, augeatur cyathis quibusdam vini rhenani in serum cum lacte facti. 8. Sudat adhuc. Intermissio. Vespere de nausea et oris amaritudine conqueritur. Capiat elix. vitrioli guttas viginti ter de die in poculis.

Quotidie

Quotidie dejicit. 9. Somnolentia, ſtoliditas, obliviſcitur quae fecerat paulò ante, linguae ariditas, ſitis intenſior, auctus cutis calor, labiorum et palpebrarum ſpaſmi, quando ſe erigere nititur, tremit, dentes concutit, ſyncope. Aliena loquitur. Pulſus nec citus nec plenus, ſat naturalis. Mittatur verò ſanguis ad uncias octo. Applicetur emplaſtrum epiſpaſticum amplum inter ſcapulas. Veſpere ſymptomata paulatim miteſcunt, ſudor profluit: nulla quies. 10. Febris, cutis calidior, pulſus celerior, ſpaſmi, accuratius reſpondet, ſitis. R, rad. ſerpentariae, camphorae, *ana* grana octo; miſce: fiat bolus, quem capiat omni quartâ horâ. Supra bibat cyathum ſeri rhenani fortioris. Quies melior: ſudor nullus. 11. Eadem ſymptomata urgent: delirium. Applicentur epiſpaſtica acria brachiis internis. Nox pacatior. 12. Non tam aliena loquitur, adſtantes novit; et bolos et liquida quando porrigunt, haurit. Epiſpaſtica magnam foetidae et quaſi ſanioſae materiae vim fundunt. Cubat ſupinus. 13. Dormit ſupinus, facies hippocratica; et manus, et caput convelluntur. Pulſus bonus, calor naturalis. Veſpere meliùs ſe habet, lingua ruffa, arida, ſicca ſicut cornu; ſitis intenſa. 14. Eadem ſymptomata, longa

longa suspiria saepe ducit. Capiat medicamenta omni trihorio. Vespere exacerbescunt mala, nullus sudor, nec heri nec hodie alvus. Injiciatur clysma paulò acrius. Somnus melior. 15. Symptomatum remissio: sitis aequè magna: pro prandio sumpsit hodie panadam cum vini generosi cyatho; saepe terrore perculsus expergiscitur. Melancholicus nescio quid de Deo irato timet. Capiat vini generosi per se semilibram quotidie. Vespere semper exacerbatio. Singultus frequens, suspiriosus; spasmi mitiores. 16. Mane remissio, lingua coloratior, succulentior. Vespere omnia in pejus ruebant. Applicetur pedibus totis CRATONIS cataplasma. Somnus pacatior, terroris expers; nunquam sudat. 17. Remissio notabilis: mens plene constat: hodie bis dejecit: sitis adhuc. Vespere exacerbatio nulla; sed in somniis terror: cibos appetit. 18. et 19. Melius se habet omni horâ; perstat verò in usu medicamentorum quae tam egregiè opem tulerint. Ferè nulla sitis. Urinam subsidentem plenâ hypostasi observare fuit. 20. Febricula, sudatio; heri ingurgitavit magnam carnis quantitatem, me insciente. 21. et 22. Nulla febris, &c. 28. Exercitio utitur. Corticem cum sale absinthii ad vires roborandas sumit.

ſumit. Sept. 12. Verus paroxyſmus hodie, qui primò tertianae typum induebat, per tres circuitus, dein per duos dies intermittebat. Quotidie ſumit corticis drachmas duas, ſalis abſinthii ſcrup. ſemis in electuario. Oct. 8. Elapſâ ſeptimanâ, nullus paroxyſmus: neutiquam medicamenta negligat. 17. Morbus ſopitus cum ſaevitie heri rediit. Cephalalgia, febris immanis, ſudor copioſus longus, tempore paroxyſmi frigidi (aër erat frigidus) infuſum forte ſalviae bibere juſſi. 18. Intermiſſio nec poſtea recidivam patiebatur.

CASUS XIV.

Febris remittens cum ſubito delirio, ſpaſmis carpi et muſculorum qui caput incurvant, aliiſque ſymptomatibus horrendis; poſtea continua, et denuo intermittens.

MILES quidam, *Weſtcomb*, annos 40 natus, robuſtus, ſanguinei temperamenti, ſaepe temulentus, malè ſe habuit per quoſdam dies; munera tamen vitae militaris obiens, 12. Auguſt. febre, ingenti calore, ſiti, et poſt paucas horas, delirio affligebatur. Reſponſa non dabat, quamvis oculos roganti obvertebat. Tremor

Tremor et ſpaſmi (*twitching*) manuum et muſculorum qui caput inclinant. Pocula reſpuit. Pulſus rapidus, non valde plenus. Mittatur ſtatim ſanguis ex arteria temporali ad uncias octo. Veſpere eadem ſymptomata. Applicetur epiſpaſticum acre dorſo: caput raſum et tempora, aceto, ſale nitri, et aquâ fontis embrocentur. Noctu aliena muſſitavit. 13. Mitiora ſymptomata: de dolore emplaſtri queritur, liquores haurit, ad latus cubat. Meridie febris, calor, ſenſibus externis et internis orbatus, nec vocem edit, nec gemit; brevi cutis frigida, pulſus minor. Capiat ſtatim bolum ex radicis ſerpentariae ſemiſcrupulo, camphorae granis ſex, ſalis c. c. volatilis granis quatuor; miſce, omni quartâ horâ capiat. Veſpere nullum voraverat, erant omnes in ore: ſub ſe alvum fudit. Applicentur epiſpaſtica tam capiti quam femoribus internis; et cataplaſmata acriora pedibus admoveantur. Noctu poſcebat matulam, et alvum iterum fudit. 14. Bolum hôc mane ſumpſit cum poculo ſeri rhenani fortis: adhuc mentis alienatio, reſpondet non plenè. Meridie febris exacerbatio, cubat ſupinus, cutis viciſſim calor et frigus, ſudor frigidus toto corpore, ſilet, nil ſumit per os; pulſus tremulus, parvus. Horâ tertiâ gemit, dolet,

dolet, respondet; et bolos, et cyathum vini hausit; delirat tamen aliquando; facies verò aequè lurida. 15. Et bolos et panadam cum vino sumpsit; bene evacuant epispastica. Meridie iterum omnia symptomata in pejus ruunt: intermittit arteria carpalis quartâ quaque pulsatione; cutis praecipue verò extrema frigent. Admoveantur epispastica tibiis internis; cataplasmata renoventur plantis pedum, et detur clysma quam stimulans. Vespere eadem symptomata; cutis tantùm calidior: silet omnino, prae se fert imaginem moribundi. Primô mane gemere incipit: epispasticorum dolorem sentire videtur. Linguam horâ nonâ roganti monstravit. Bolum, et cyathum vini sumpsit. Horâ undecimâ omnia pejora: tertiâ quâque vibratione intermittit pulsus; tendinum subsultus violens; ore distorto et semiaperto horrendus; facies livida, pallida; silet. Admoveantur epispastica brachiis internis: injiciatur clysma acre, fudit alvum. 17. Vivit adhuc: renovetur cataplasma CRATONIS; injice clysma ut heri, et stimula partes emplastris excoriatas unguento epispastico. Vespere dolet, gemit, pocula, et bolos renuit. 18. Mitescunt symptomata, clamat, pulsus aequalior; panadam, bolos et vinum deglutiebat.

Capiat bolos omni trihorio, et vinum detur et clysma. Vespere nulla symptomatum exacerbatio. Cutis aret, pulsus aequalis, me novit, calor fere naturalis. Repetatur enema. 20. et 22. Respondet distinctè, et fere mens constat. Nunquam dejicit sine purgante. Medicamenta continuet. Sept. 2. Convalescit quotidie; sint medicamenta cardiaca roborantia Detur vini semilibra quotidie, et bolo addantur chalybis grana quatuor, quem capiat bis die. Corpus exerceat. 12. Heri verus paroxysmus intermittentis corripuit. Hodie febris nulla; capiat lene emeticum, quando horrere incipit. 13. Emeticum sumpsit, leniter horruit, brevis circuitus, plena sudatio; et sic octo circuitus habuit. A quarta intermissione electuarium febrifugum, cum sale absinthii, interposita nonnunquam rhei parvâ dosi, quoniam venter erat astrictus, sumpsit. Octob. initio, favente Numine, jam valet.

CASUS XV.

Febris remittens tertiana cum maculis purpureis, &c.

AUGUSTI initio, quendam, nomine *Nelson*, annos 30 natum, tenuioris habitus, nulli verò

verò morbo obnoxium, cephalalgia ſubita corripuit, citò algor, calor manuum praecipuè, febris; noctu eadem ſymptomata, ſudor copioſus. 2. Mitius dolet caput, caetera ſanus; noctu quies. 3. Mane capitis dolor; veſpere horripilatio parva, fere nullum caloris augmentum, ſudor, ſomnus. N. B. Bis ipecacuanham ceperit; uncias ſanguinis viginti amiſerit: cras catharticus pulvis adminiſtretur. 6. Quater dejecit; appetitus vegetior, cephalalgia adhuc. 7. Idem morbi tenor, capiat hôc mane elix. vitrioli guttas viginti. Veſpere brevis paroxyſmus, ſudor per noctem, ſomnus. 8. Adhuc caput dolet, ſed mitiùs. Horâ duodecimâ facies, corpus et extrema ſubitâ eruptione macularum purpurearum magnitudinis variae et figurae, obducebantur fere; nulla febris, nullum cephalalgiae vel incrementum vel diminutio: pruritus nullus. Capiat elix. vitrioli guttas viginti ter die, a frigore ſe contineat, nec tamen lecto affigatur. Detur nonnunquam portio exigua pulveris contrayervae cum nitri ſale; et horâ ſomni ſerum vini rhenani. 9. Eadem ſymptomata. Noctu paroxyſmus cum ſudore, et bilis vomitione copioſa. 10. Capitis dolor pertinaciſſimè durat.

Radatur

Radatur,' et parti affectae, ſcil. occipiti, epiſpaſticum amplum admove; per 48 horas maneat 12. Longè mitior dolor; nullus paroxyſmus; maculae evaneſcere incipiunt. 13. Nullum ſentit dolorem niſi ab epiſpaſtico. Detur corticis ſcrupulus m. et v. cum elix. vitriol. ut priùs. 20. Alternis noctibus aliquando ſudat, aucto parum calore. Nulla cephalalgia; maculae evanuerint; appetitus bonus, firmior quotidie; corpus exerceat, et medicamenta continuentur. 28. Proximis duobus diebus ne vel ſemel alvum fudit. Hodie cardialgia, tormina, ſitis; omnes liquores vomit citò; vertiginoſus; thoracicus dolor, qui a vomitu augetur; nulla febris. Detur clyſma ſtatim: ſedetur dolor parv. doſ. laudan. liquid. Sydenhami: ſiſtatur vomitio elix. vitrioli, et aquâ fontis; et denique alvum ſolve rhei et jalapii aequatâ portione. 29. Ter dejecit, minuuntur dolores: rejicit nonnunquam per os liquida. Repetantur elix. et aqua. Veſpere nullus dolor omnino; vomitus ſedatur. Sit chamaemelum pro jentaculo. Capiat corticis parvam quantitatem quotidie, cum vini cyatho. Sept. 3. Heri paroxyſmus, ſudoris multum: integer hodie. 4. Circuitus iterum; et ſic alternis diebus corripuit, ad medium menſis in-

ſequentis,

ſequentis, quando duplici tertianâ bis laborabat, nec unquam poſtea ab illa paſſus eſt. Diebus intermediis electuarii febrifugi compoſiti ſemidrachmam bis die ſumpſit. Aliquando rhei debitâ doſi, primae viae purgabantur: et denique valetudo, exercitio, cibo analeptico, vino, et amaris, reſtituebatur.

CASUS XVI.

Febris anomala tertiana cum ſubita caecitate, oculorum inflammatione, et ſiniſtrae corneae opacitate.

SUB finem Julii, miles, nomine *Evans*, annos 28 natus, robuſtus ſatis, aegrotabat per quoſdam dies, nec tamen ab officio militari abſtinuit; ſed malo ingraveſcente, ineunte Auguſto, tandem ad valitudinarium venit. Erat facie ſubictericâ macilentâ, ſudore frigido, calido nonnunquam diffluens, animo ſaepe linquens. Erat pulſus parvus, celer; nauſea, ſitis: quieſcat paululum, et tum propinetur cyathus vini generoſi. Veſpere horripilatio, pandiculatio, febris, capitis et lumborum dolor, vomitio: affatim liquores tepidos farinaceos bibat cum ſale nitri. Sudor

tepidus,

tepidus, dolorum imminutio. Quies parum interrupta, poſtridie ſymptomatum remiſſio. Detur ſal nitri in poculis, et quoniam conſtipatur alvus, clyſmate irritetur. 14. Auguſti, quatriduo elapſo, vertiginoſus, ſiticuloſus, rarò calidus, nunquam frigidus, ſudans nunquam, attamen rarò dormit noctu, interdiu nonnunquam. Capitis dolor continuus. Capiat emeticum ſtatim. 15. Emetico ferè capitis dolor excutitur; cibos appetit: capiat elix. vitrioli guttas viginti bis die. 19. Anxietas, dolor ſcrobiculi cordis, tumor nullus, ad tactum dolens, reſpiratio impedita. Mittatur ſanguis ad uncias decem. Detur parum ſalis c. c. in poculis, et pars affecta fotu idoneo laxetur. Sudor nullus, auctus calor, nulla quies, miteſcit dolor, bis alvum fudit. 21. Primô mane per quatuor horas ſomnum capiebat. Surgens erat vertiginoſus parùm, quieſcit ſcrobiculi cordis dolor. 22. Calor, tormina, alvi adſtrictio; detur ſtatim ſemidrachma pulveris jalappi. 23. Nec calor nec tormina, quater alvum fudit purgans. 26. Diebus tribus elapſis, tantum infirmus, nec viget appetitus; dentur amara cum vino donec corpus exercere poſſit. 27. Undecimâ horâ ante meridiem ſubitus dolor capitis cum vertigine invaſit

vasit. Calor, sitis, febris, somnus, in somno anxietas, delirium, nullus sudor, semel dejecit, noctu quies, hodie sumpsit pulverem contrayervae. 28. Benè se habet; noctu corripiebatur dolore oculi sinistri lancinante. 29. Inflammatur oculus, inflammantur et palpebrae cum tumore. Mittatur sanguis e vena jugulari ad uncias decem, et applicetur parti affectae cataplasma e mica panis. 30. Adhuc dolet oculus. R. pulveris jalappi semidrachmam. Viget appetitus. 31. Inflammatio et dolor minuuntur. Sept. 1. hodie horâ decimâ dolor capitis, subita caecitas, vertigo, febris, calor, sitis; applicentur epispastica bina pone aures. Vespere jam videt, adhuc febricitat, noctu sudabat, et 2. a febre immunis. Quotidie alvum fundit. Appetitus prostratus. 3. & 4. Firmior quotidie, nulla oculi inflammatio. 5. Verus paroxysmus, dolet iterum oculus sinister, sudabat; hodie απυρεξια vera. Detur scrupulus salis ammoniaci crudi h. s. in potu, et applicetur iterum cataplasma oculo. 6. Mitior ophthalmia. Repetatur salis ammoniaci dosis. 7. Paroxysmus cum sudore. Semper augetur oculi dolor praesenti febre. Vespere intermissio. Detur parum electuarii febrifugi cum sale absinthii. 8. Obducitur cornea oculi sinistri

niſtri pelliculâ quadam opacâ. Augetur et phlogoſis; incidantur arteriolae, mittatur quoque ſanguis e vena jugulari ad uncias octo, et medicamentum catharticum detur cras. 10. Repetatur electuarii quotidie bis. Oculi dolor et rubor minuuntur. Ad deradendum pelliculam applica ſequens collyrium m. et v. adde unciis ſex aquae fontis ſemidrachmam vitrioli caerulei, ſacchari ſaturni ſcrupulum unum. Admove etiam leniter nonnunquam cauſticum lunare. 11. Paroxyſmus, et ſic alternis diebus uſque ad vigeſimum Sep. quando deſiit et viſus reſtituebatur.

CASUS XVII.

Febris anomala, cum epigaſtrii, femorum, crurum tumore, &c.

VIR quidam primipilaris, annos 40 natus, ſpiritibus ardentibus deditus, et militiae laboribus fractus, poſt quinque vel ſex paroxyſmos tertianae anomalae, quam in ordinem redegerant parum ſanguinis detracti, et pulvis ipecacuanhae bis repetitus, citò corripiebatur ventriculi inflatione, dein abdominis, poſtea femorum et crurum. Erant illi reſpiratio anheloſa,

helosa, sitis, scotomia nonnunquam, et cordis palpitatio freqüens: supinus cubare non potuit. Mane aliquando palpebrae inflantur; post ructum levatur ventriculus. Nulla tertiana, ex quo pedes oedemate laboraverint; tactui cedunt parum. Excutiantur primae viae emetico fortiori. Capiat m. et. v. jejuno stomacho, cyathum vini sequentis medicati: R. rad. gentianae, galangae, *ana* drachmas tres, corticis aurantiorum, cinnamom. *anà* drachmas duas, rhei incisi drachmas duas et semis, sap. tartari drachmam unam: infundantur in vini rhenani libris duabus: hisce appetitus devenit melior: venter, &c. aeque tumida. R. turpethi mineralis grana quatuor, camphorae grana decem, resinae scammonii grana sex; misce: fiat bolus. Semel ανω ϗ κατω egit; respiratio liberior. Omni quatriduo detur unus e bolis superioribus. Voret mane quotidie allii semidrachmam, et sit infusum florum chamaemeli pro jentaculo: rarò bibat, nisi urgeat sitis. Horum usu per duas septimanas continuato, interjectâ nonnunquam pilularum cochiae dosi, tumores subsidere incipiebant; et febris rediit quotidie per quinque dies. Praesente febre, capite laborat quidem; sed nec respiratio difficilior, nec tumores mole augentur.

 Finito

Finito, ſudore, paroxyſmo, liberiùs et ſpiritum ducit, et tumores (excepto ventriculi et abdominis) ſubſident.

Capiat vinum medicatum quotidie, et bolum mercurialem ut prius, qui nunc tantùm urinae quantitatem auget. Sep. 20. heri paroxyſmus, copioſè ſudavit; oedema ſubſederit fere, nec ſpiratio ideo difficilior. Fricentur partes debiles linimento ex parte una ſpiritus terebinthinae, ſpiritus vini rectificati partibus duabus, unguenti altheae parte una et dimidia, adde parum ſalis tartari et ſalis communis; bene terantur et miſceantur. Egregiè roborat. Sep. 21. capiat hodie pilularum cochiae cum calomelanos granis quinque doſin. Valde ructavit et ſexies fudit alvum. 22. Reſpirat liberè, tumor epigaſtricus omnino abierit. Perſtat tamen in uſu vini medicati, florum chamaemeli et allii; vino addatur limatura ferri in nodulo. Oct. 12. duos alios paroxyſmos habuit, ſed jam firmus eſt.

CASUS XVIII.

Febris quotidiana quam ſequebatur icterus

JUVENIS quidam viribus integer, ſobrius, annos 26 agens, nomine *Brunt*, menſe praeterito, ſcil. Auguſto, febre quotidie recurrenti laboraverat, quae, ſectâ venâ ſemel, et emetico bis propinato, ad tertianam perfectam poſt quatuor paroxyſmos redigebatur. Alvus tunc, niſi purgante quovis coacta, nunquam liquabat; per vices de dolore capitis conqueſtus eſt, etiam febre abſente. Utrum ſudabat in paroxyſmo annon ephemerides noſologicae ſilent: ſed mane poſt quartum tertianae circuitum, oculos, faciem et denique cutem flavedine, obductos obſervabam. Capiat ſalis abſinthii grana duodecim bis die. Urina linteum immiſſum tingebat quaſi. Appetitus citò rediit. Omni triduo capiat bolum ex rheo cum mercurii dulcis granis quinque. Horum uſu continuato, flavedo curabatur ſpatio hebdomadis, nec rediit tertiana. *N. B.* Faeces erant ab initio bilioſae, nec tophos quoſdam apud illas obſervare fuit.

CASUS XIX.

Febris quotidiana cum ſpaſmis, delirio, oculorum immobilitate, ſyncope, aliiſque ſymptomatibus diris. Sept. 14.

ORDINUM ductor D. *G. M'kenzie*, vir ſobrius, probus, olim paralyſi parens, habitûs nunc ſanguinei, per duas hebdomadas dolore capitis trium horarum quotidie, cibi faſtidio, animo fracto, ſiti, vigiliis laboraverat. Equitando quotidie morbum ingruentem repellere, ſed fruſtra, tentatum. Heſternâ nocte corporis jactatio, ſitis, calor, oculi quaſi conſtricti valdè dolebant, dormitaturo trepidatio, terror; hodie accitus viſebam. In ſolio ſedebat, erat cephalalgia lancinans, oculorum et palpebrarum inflammatio, rubor, dolor, tumor, lingua albida, palatum aridum, cutis calor, pulſus celer: mittatur ſanguis ad uncias viginti; nec tamen inde ſymptomata miteſcebant; quippe poſt meridiem fortius ingruebant, et noctem verè inquietam agebat. 15. Quamvis e lecto mane ſurrexit, nihilo melius ſe habuit; quippe jam de frigoris univerſi ſenſu, lumborum et femorum dolore, ſapore ingrato, aegritudine, nauſea, et languore conqueritur. Erant

genua

genua quaſi luxata, ſitis et calor. Haecce ſymptomata emetici uſum indicabant; ſed ſumere, haemoptoes metu, renuit. Quid inde? Veſpere ſervus mihi ſignificabat, quòd a hora ſecunda poſt meridiem, ſupra lectum proſtratus, aliena loquens, omnia recuſans, ſe tenuerat: oculi clauſi manebant, ſibi muſſitabat incongrua, cutis fervida et arida, pulſus celer: horâ poſt, me novit, ſignificavitque ſe ſpaſmis gaſtrocnemii excruciari. Capite et oculis aequè laborabat, nauſea. Repetatur vaeneſectio ad uncias viginti, currente ſanguine vomuit ſaepe et violenter, nil tamen rejecit. Horâ ſomni, bibat ſeri rhenani libram: inſomnis ſed pacatus. 16. Melius ſe habet; ſalis Glauberi drachmis ſex cieatur alvus, bis dejecit; in ſella ad focum hodie ſe continuit. Noctu febris, dolor, ſitis, anxietas non immodica, inſomnia, ſudatio nulla, crura viſcoſo ſudore tantùm madebant. 17. Symptomatum remiſſio, vertex potius dolet, corpus quaſi contuſum. Emeticum propoſui, ſed noluit; horâ undecimâ antemeridianâ, horror, tremor, febris. Detrahatur ſanguis ad libram, impensè fontis aquam petebat, delirium, corporis jactatio ingens; applicetur capiti raſo epiſpaſticum amplum. Sudor vehemens; horâ ſextâ veſpere,

ſymptomatum

ſymptomatum remiſſio ingens; mens plene conſtat. Horâ octavâ, donec lectus componeretur, ſurrexit. Animo defecit. Naribus ſal. cornu cervi, temporibus aquam reg. HUNG. affrica. Bibat cyathum vini. Poſtura ſit horizontalis. Citò reſtituebatur. Facies ſudore frigido diffluebat. Noctu ſtranguria acerbiſſima ſomnum impedivit. Suſpiria alta, dolor et febris imminuta. 18. Mane remittit ſtranguria. Sudor vehemens, ad medium diem ſurrexit, lodicibus aridis et calidis inſtruatur lectus, lintea nitida induat; copioſè dejecit, lipothymia brevis. Hodie cl. D. PRINGLE de aegrotante conſulebatur. Supra ſtragula poſtea cubat. Somnus noctu. 19. Suaſu Doctoris, horâ ſeptimâ, catharticam hanc potionem ſumpſit. R. rhei craſſe pulveriſati ſcrupulos duos, ſalis abſinthii grana decem, aquae bullientis uncias tres, digere per quatuor horas, in colatura ſolve mannae optimae unciam unam; miſce. Bis alvum ſubduxit. Hodie nulla febris. Veſpere pulſus ad normam ſanitatis vibrans. Cutis calida parùm. Lingua coloratior. Ad horam quartam aurorae proximae dormivit; tunc frigus, et ſubinde tremor ſpaſmodicus totius corporis. Horâ poſt, febris immenſa, delirium, lipothy-

mia,

mia, lecti pedes per decem minuta calce convulſus feriebat. Pugnô, ſervi manum quam fortiſſimè conſtringebat. Mentis alienatio; de ardente calore interno ſubinde querebatur. Oculi erant immoti per ſex vel ſeptem minuta; nonnunquam facies pallida horrida; medicamenta exſpuebat. Manus et crura ſaepe convellebantur: pulſus inaequalis, interruptus, aliquando parvus, celer. Meridie mens conſtabat, ſymptomatum fere intermiſſio, ſudor ingens. Poſt meridiem horâ tertiâ minuitur ſudor, pacantur mala. Horâ ſextâ, e lecto, ut componeretur, ſurrexit, nec animo defecit. Stranguria adhuc laceſſit; urina craſſa, lateritia, nihil ſubſidens. Cruſtam panis cum vini cyatho ſumpſit. Epiſpaſtica copioſè effundunt. Citò lectum petivit: dormivit altè ad multum diem 21, quando me jucundâ voce accedentem allocutus eſt, et ſe jam ab omni ſymptomate funeſto liberum eſſe dixit. Hodie juſculum pulli ſumpſit, et parum vini rhenani: in ſella, vel ſupra ſtragula per totam diem erat. Dormivit ad horam ſecundam diei inſequentis, quando paroxyſmus, ſed multò lenior: nulli ſpaſmi, mens conſtabat. Effudit bis per os parvam bilis ſincerae quantitatem. Sudor copioſus fere ad veſperem, quando e lec-

to

to ſurrexit, et parum juris ſorpſit. 23. Quoniam nihil venter dejecerat, triduo elapſo, et bene ſe habet hodie, cieatur ſalis Glauberi drachmis ſex. Sexies fudit; cibos appetit. 24. Primo mane paroxyſmus proximo lenior: ſudor ingens; a ſudore debilitas. Concedantur alimenta eupepta, et vinum. 25. Intermiſſio: capiat corticis drachmam bis die in potu *caffé*. Somnus profundus uſque ad horam quartam matutinam. 26. Quando frigiditas, et reliqua paroxyſmi ſymptomata; veſpere capitis dolor, febris nulla; noctu ſudor, ſomnus. 27. Intermiſſio. Capiat corticem ter die ad quantitatem drachmae. 28. Debet hodie invadere febris: capiat ſemel tantùm cort. ſemidrachmam. Nullus paroxyſmus: noctu ſudor ingens, febris neutiquam; nec poſtea in Belgio in morbum incidit: ſudavit tamen alternis noctibus per tres hebdomadas. Tandem exercitio, cibo eupepto, vino rhenano, cortice et amaris cum ferro convaluit. Vere inſequenti, anni 1749, iterum febre quotidianâ laboravit; et quoniam thorax, per totum morbi tractum, cum expectoratione viſcoſa doluit: venaeſectione ſemel inſtitutâ, tincturâ ſacrâ, et miſturâ ſalinâ Riverii, ad ſanitatem tarde rediit.

CASUS

CASUS XX.

MILES quidam, ſobrius, nomine *Dun*, firmâ ſatis valetudine fruens, annos 36 natus, Auguſti 13, hodie horâ quartâ matutinâ quando (aër erat nebuloſus, et frigidus valde) legio noſtra in armis erat, ſubito calore univerſo, articulorum, capitis et lumborum dolore corripiebatur. Statim ſe domum contulit, ibique evomuit multum; acceſſit ſitis ingens. Veſpere ſymptomatum remiſſio, ſudor multus, ſomnus. 14. Adeo integer ut ſtationem egerit, ſed poſt meridiem horripilatio, febris, dolorum recurſus, noctu ſudatio, quies. 15. Intermiſſio, et, quoniam mane legio ab excelſiſſimo CUMBRIAE duce recenſebatur, in armis erat. Poſt meridiem paroxyſmus violentior, noctu ſudor, inſomnia. 16. Durat paroxyſmus, capite tantum dolet, nauſea, vomitus, ſitis, noctu ſudor vehemens, ſomnus. 17. Hodie ad valetudinarium venit pro prima vice, quando mihi morbi curſum praegreſſum narravit, et quod commilitonum quidam ſanguinem bis detraxerat; de pectoris anguſtia moleſta conqueritur. Quoniam pulſus nimis fortis, perdat ſanguinis uncias duodecim. Ho-

die ventrem, qui fuerat adſtrictus per duos dies, ſolvit. Veſpere ingruit horripilatio. Capiat ſtatim emeticum. Hôc febris diſcutiebatur citò. Somnus. 18. Cephalalgia, pectoris anguſtia iterum inquieta. Tuſſis ferina. Pulſus naturali celerior, plenior; ſanguis ad uncias octo mittatur. Veſpere tremor, febris mitior, ſudor, ſomnus. 19. Hodie ad noſocomium non venit. Dolor capitis, tempore poſtmeridiano tremor, febris, ſomnus. 20. Mane a doloribus, febre, *&c.* immunis, ſudore diffluit. Quoniam debilis; capiat rad. ſerpentariae grana decem, ſalis c.c. grana duo in vehiculo idoneo. Veſpere paroxyſmus caeteris mitior, ſudor. 21. Intermiſſio. Capiat elixiris vitrioli guttas viginti. Veſpere circuitus ut heri. Finitâ febre, repetatur bolus e ſerpentaria et ſale c. c. 22. Intermiſſio. Elix. vitrioli. Veſpere tremor, calor, mutus, torpidus, omnibus ſenſibus internis et externis orbatus, ſupinus, immobilis, palpebrae clauſae, oculi immoti, ore hiulco, nihil deglutire valet, ſudor profuſus, reſpiratio alta non frequens, nullus tendinum ſubſultus: applicetur epiſpaſticum capiti, duo brachiis internis, femoribus et tibiis totidem. Admoveatur totis pedibus cataplaſma irritans. 23. Eadem

Eadem ſymptomata, nullus tendinum ſubſultus, pulſus non intermittens. Undecimâ horâ ante meridiem parum ſumpſit miſturae cardiacae, oculos aperit, loquenti obvertit; non loquitur, facies melior. Applicetur epiſpaſticum dorſo, et detur clyſma irritans: nihil reddidit. Veſpere ſymptomatum exacerbatio. Epiſpaſtica ferè excoriaverunt, ſed fruſtra, quippe mortuus eſt 24. Auguſti cum ſpaſmis extremorum horridis. Ab initio erat illi mictus doloroſus.

Hic dies legioni noſtrae erat infauſtus valde, quippe tres alii, fere iiſdem ſymptomatibus conflictati, eo obierunt: notandum eſt quòd tantùm horum unus in Noſocomio erat.

EPILOGUS.

HAEC demum eſt illa methodus, quâ febres intermittentes oppugnabam: et, quamvis fere ſemper voto reſpondebat, inde ne lector conjiciat, ullam dari methodum medendi quae perpetua ſit, et quae in omnibus circumſtantiis promiſcuè applicetur, ſeriò ſum auctor. Ab illo qui velit artis limites promovere, hiſtoria morbi, maximè verò corporis aegrotantis

aegrotantis et causae morbum facientis, solicitè consideranda sunt. Eandem methodum singulis adhibere, est munus agyrtae; symptomatibus verò praescribere, sani medici officium. Differunt pro natura regionum (scribit CELSUS noster) genera medecinae; ut aliud sit opus ROMAE, aliud in ÆGYPTO, aliud in GALLIA. Sint haec mihi pro apologia, si in praxi tradenda, quibusdam magni nominis in re medica dissentiens sim: illos summo honore, uti decet, habeo; sed artem salutarem promovendi studium mihi magis ex animo est. Confido igitur, quòd lector opusculum hocce aequi bonique consulet. Nimis scio quid valeant humeri, ne putem quin mendis scateat: sed si sit in causa, ut quis alius in exercitu opus magis absolutum pro civium commodo edat, voti ero plenissimè compos: et ut opus claudam cum DIVINI SENIS placito, "invenire aliquid eorum quae inventa nondum "sunt, aut semiperfecta ad finem perducere, "scientiae votum est."

FINIS.

MONITA SIPHYLICA,

DE

Modo excitandi Ptyaliſmum, et morbis inde pendentibus.

Argento melius perſolvunt omnia vivo
Pars major ; miranda etenim vis inſita in illo eſt.

Frac. Siph.

CLARO AC PHILANTHROPO VIRO,

JOANNI CRAUFURD, ARMIGERO,

INVICTAE LEGIONIS XIII. TRIBUNO STRENUO,

TAM SUADA, QUAM MARTE, EXIMIO:

NEC NON,

RELIQUIS EJUSDEM LEGIONIS PRAEFECTIS,

MORIBUS, FAMA, FORTITUDINE PRAESTANTIBUS,

AMICIS CHARISSIMIS;

CULTUS GRATITUDINIS

ERGO,

HANC DISSERTATIONEM

D. D. C. Q.

JACOBUS GRAINGER.

MONITA SIPHYLICA;

SIVE,

DISSERTATIO MEDICA

DE

Modo excitandi PTYALISMUM, et morbis inde pendentibus.

QUAEDAM de modo Ptyaliſmum excitandi, et morbis inde pendentibus monere, hujus diſſertationis propoſitum eſt.

DUORUM, et ultra ſaeculorum experientiâ, Ptyaliſmum, mercurio in ſanguinem recepto, provocatum, luis venereae remedium potentiſſimum eſſe, jam conſtat; ſed, quoniam haec labes, utcunque dira, vitaeque humanae infeſta, ſaepe morbis aliis, qui hydrargyroſim forte non ferant, implicatur, horum primos, ſicut a claris practicis enumerantur, ſtrictim attingamus.

1mo, IN re medica, ſtabilitum eſt, quod quando plures morbi complicentur, ei, qui vitae praecipue minetur, primo ſuccurrendum.

Hinc, in ſiphylico, malo acuto, vitam minante, tentato, ſalivae proritatio non eſt excitanda.

2do, Sed in pathologicis quoque, evacuationem novam, ingruente, fluente quavis periodicâ vitae ſalutarî, nunquam ſolicitare, axioma eſt.

Haec liquido patent.

3tio, Sed quid faciendum, quando morbis diuturnis, ut ſaepe fit, implicatur virus venereum?

Hic reverâ maturo judicio opus eſt, quippe, quoniam permulta mala chronica a lue venerea oriantur, an huic vel alteri morbo originem debeant, judicatu difficile eſt.

Si a lue ortum trahant, nil mali extimeſcendum, quoniam, causâ hydrargyroſi ſublatâ, tolluntur effectus.

Sed, ſi morbus ab alia peregrina materia pendeat, quaenam praxis? In univerſum, ſi ſputi proritatio malum chronicum vel penitus inſanabile redderet, vel ſubito vitae minaretur, a mercurio abſtinere convenit.

Sed, quoniam a quibuſdam practicis in morbis nonnullis, quibus ſanandis reverâ confert, et in aliis, quibus ex mea propria experientia, obeſt, praedicatur hydrargyroſis,

horum

horum praecipuos ſpeciatim memoremus: et primo.

4to, OBSTRUCTIONE viſcerum tentato, multi in medicina celebres exitialem fore Ptyaliſmum proclamant; et ſane ſi in ſchirroma abierit obſtrúctio, vel altius morbum infigeret, vel vaſa rumperet mercurius; ſed, ſi recens ſit obſtructio, quid tam, praemiſſis praemittendis, materiam immobilem adeo permeat, ac ſputatio? Febrem quippe ſemper, quae deobſtruentium rerum longé potentiſſima eſt, accendit. Aſt, in pus reſolutâ materiâ obſtructâ, anne ſalivae excitatio prodeſſet? A pleriſque, nec injuria, damnatur; attamen ulcera interna, mercurio parcâ copiâ exhibito, ſaepe faeliciſſime ſanantur; ſanatis, nil obeſt, quo minus excitetur Ptyaliſmus.

5to, IN hydrope thoracis, improbatur hydrargyroſis; et ſane ſi ſanguinis craſis diſſolvatur penitus, ſi laxentur nimis ſolida, hoc eſt, ſi vires vitae frangantur, ſputationis copioſae excitatio neutiquam convenit, parcae, prodeſt. Aquam e pectore, mercurio praecipue, plus unâ vice feliciter eduxi. Ab hydropicis facillime ſputum elicitur; nimium humores cito corrumpit, haemorrhagias exitiales,

ales, saepe producit, gangraenas, mortem arcessit. Raro luem veneream concomitatur.

6to, In scorbutica sanguinis dyscrasia, quoniam in hoc teterrimo malo, vasorum cohaesio sic minuitur ut a leviculo etiam impete frangantur, simulque humorum putredo ingens adest, improbatur nec injuria salivatio.

Militi siphylico, gingivarum putredine, et femoribus, &c. maculis lividis nigris interstinctis, mercurii crudi drachmam unam inungebam vespere. Die insequenti sputum verum mercuriale magna copia effluxit, et rite ad decimum diem processit, tunc mala, labia, oris interna intumuerunt valde, dentium infirmitas ingens sequebatur, fere omnes exscreavit, et quod mirum, mole auctos. Halitus commilitones foetore vix tolerando percussit. Sanguinis multum foetidi, immo gingivarum quotidie exspuit. Erat urina foetidissima, crassa, parca, fere nigra. Animo defecit saepe. Omnia, quae alias, ad effraenem sputationem cohibendam, cum successu usurpaveram, adhibui. In pejus ruebant Symptomata, moribundus erat Misellus. Tunc vinum cum aromatibus decoctum, et elixirem vitrioli, singulis horis dedi. His, vires brevi redierunt, sanguis, et tandem sputum, sistebantur. Eo-

rundem

rundem uſu diuturniore, maculae, tumor, &c. tandem evanuerunt; attamen per tres menſes militis officio fungi nequibat. Lues venerea ſaepe comitem habet ſcorbutum verum.

7mo, In ictericis, ſed perperam, damnatur hydrargyroſis; nam modo evacuantia et balneae tepidae praemittantur, hepar obſtructum, niſi in ſchirrum concreverit, ſemper expedit. Ter, morbum regium lui aphrodiſiacae implicatum, in Flandria vidi.

8vo, In inſania interdicitur ſputatio. Et reverâ, maniaco furenti, mercurium ad ſputum provocandum, exhibere, ſanae non mentis conſilium videatur; ſed quoniam melancholici et morbo hypochondriaco affecti, ſaepe viro venereo tentantur, ſeſe ſaepius tentatos autumant; an tali enixius petenti conveniret hydrargyroſis? Hoc ſedulo expendi meretur.

Quoniam conſortium, quo corpus cum animo unitur, ignoratur fere, morborum plurium rationem, in quibus animi vis praeſertim affici videtur, ut et therapeiam exquiſitam, tradere non eſt. At melancholia, et morbus dictus hypochondriacus, magna ex parte, in vi imaginationis conſiſtunt. Itaque, de his luculenter diſſerere non datur. Sed et corpus,

pus mutationes quaſdam ſubit, quarum ductu, noſmet ex anguſtiis expedire conemur. Bilis acris primum, dein viſcida, et demum picis inſtar atra fit; quin et ſanguinis ipſius habitus in melancholia craſſus eſt et tenax, nigroque colore. Unde inciſa cadavera, cerebrum ſiccum, ſanguiniſque canales atro ac lento cruore diſtentos oſtendunt. Et in malo, (quamvis et corporis reliquum infeſtat), hypochondriaco dicto, maxime vitiantur imi ventris viſcera, quorum ſingula, pro natura ſua, et uſibus vitae quibus accommodata ſunt, afficiuntur; prae caeteris vero laborat jecur. Bilis craſſior et tenax, in canaliculis ſuis haerens, hos opplet, inflat, &c. Hinc in utroque morbo, adſunt et humorum lentor, et laxitas vaſorum. Sed mercurius Ptyaliſmum provocans, utrique cauſae medetur; ſanguinem fundit, vaſa ſtimulat, obſtructa deplet, febrem accendit, (vide λ). Ergo in melancholico, incipiente ſaltem, et hypochondriis laboranti, utilis eſſe debet. Ratiocinio quoque aſſentitur experientia. Plurimis hypochondriacis, ſputo proritato, et mentis et corporis ſanitatem reddidi.

Addendum tamen eſt, quod nimia in his nunquam erat ſputatio, quod urinae viae ſemper

per apertae manebant, quod alvum eccoproticis gummosis semper post triduum solicitavi, quod animos spe gratâ erectos tenui, quod vires, generosis stomachicis datis, omni molimine sustentavi, et, finito ptyalismo, iter longum suscipiendum suasi.

9no, SED insultibus epilepticis quati solito, an salivatio proritanda? Epilepticum lue laborantem, semel ad sputationem sat copiosam inunxi; septimana 3tia, subito spasmis, epispastico pone aures, et venae jugularis sectione, discussis, os firmissime occludentibus corripiebatur. Declinante quoque sputo, dum in sella sedebat, humi subito cecidit convulsus, omni sensu privatus: minuta 8 fere duravit paroxysmus. (Hoc, aliis siphylicis nunquam morbo comitiali obnoxiis, positione erectâ sedentibus, accidere saepe vidi). At in posterum hac passione lacessitis, sputum elicere nunquam tentabam: sed, quando labem veneream comitabatur epilepsia, mercurium septies sublimatum, praemissis evacuantibus debitis, cortici peruviano, castoreo, chalybi, immiscui; luem sic semper, nisi valde saevam, immo una morbum caducum semel sanatum vidi.

10mo. SED quandoque cum nervorum resolutione conjungitur lues, quid fieri oportet?

Haec

Haec mala atrocia implicita ſedulo expendi merentur ; artificibus quippe, mercurium familiariter quotidie tractantibus, vel fumos ejus haurientibus, ſpaſmi, nervorum reſolutiones, ut fidi ſatis auctores tradunt, ſolennes ſunt ; immo nonnunquam et olim notabantur, et hodie, peractâ ſputatione praeproperâ, membra reſoluta, videre eſt. Anne ergo abſtinendum ? In aetate provectiori, longo jam a tempore paralyſi parente, ptyaliſmum provocare inſaniae eſſet. Sed quando minuuntur tantum calor, ſenſus, motus, alicujus membri, in homine etiam aetate adulta, calomelas, cum remediis quae fibras roborant aromaticis, adjuncto chalybe, rem luculentius peragit : fortaſſe quoque, parca ſalivatio a rariſſime illito mercurio his malis medeatur : hunc caſum tractandi nunquam mihi copia fuit.

11mo, SED in utero geſtantibus quid faciundum ? Hoc ubique nimis ſaepe evenit. Salivatione plenâ excitatâ, vel abortum facit faemina ; vel nutrimento idoneo fraudatur miſellulus ; vel, ſi in utero non pereat, in lucem ſuſceptus, vilem plerumque et infirmam animam trahit, peccatorum parentum

martyr

martyr luctuosus. Quapropter satius, vel parcam omnino sputationem educere, vel potius, alterantis formâ, mercurium suspensâ manu adhibere.

11mo, SED nullum morborum (a 4 ad 11.) contagionem veneream comitari demus. Nonne aliquando symptomata etiam venerea, quae ante inunctum mercurium curari debeant; vel quibus sanandis impar, immo funesta foret saliva proritata, dantur? Ad priorem classem, oris interni ulcera, ophthalmiae referuntur; alteri, contagium carie ossa tenuia narium &c. erodens, vires nimis prostratas, vel morbo jam veteri, vel sputo saepe frustra tentato, praecipue annumero.

1. AT ulcera oris, quamvis primo difformia et hiulca, semper ante peractam sputationem sanantur. Sic quoque inflammationes quotidie, salivâ fluente, decrescunt. 2. Sed quando ossa narium inficiuntur, serpit cito lues, quam citiorem etiam reddit hydrargyrosis. Hoc in misero nuper, exercitus olim venustissimo, comprobatum vidi. Quamvis enim tantum libras duas, nycthemerae spatio, exspuit, inde tamen capitis dolor multum intendebatur, spasmi musculos faciei saepe convellebant, nasus cecidit, et vicissim aliena loquebatur.

Haec longo decocti lignorum et alterantium usu amovere tentatum eſt; vixit nimis diu ſpectaculum luctuoſum, parum mente conſtans, inſultibus diris epilepticis ſaepe quaſſum, pulmones ſemper tuſſi rejiciens.

3. Quando vires, morbo jam veteri, vel ſputatione, in noſtra regione, ſaepius incaſſum elicitâ, valde proſternantur ; cardiaca, euchyma adhibenda, et quamprimum ad coelum tepidius migrandum eſt.

12mo, Sed ſi nihil horum (a 4 ad 12.) quo minus provocetur ptyaliſmus, impediat; inter practicos, utrum corpus praeparari debeat annon, lis eſt. Sydenhamus noſter, et qui in verba illius addicti ſunt, omnem corporis praeparationem vires frangere, ac praeſtare, nihil omnino agere, quam importune ſatagendo nocere, ſtatuunt. E contra, Aſtruccius harum rerum auctor luculentiſſimus, et practicorum plerique contendunt, quod ſemper quantitas et craſſitudo ſanguinis venae ſectione minuenda; quod purgantibus everrenda cacochylia eſt; et denique quod partium ſolidarum erethyſmus, (ut via facilius mercurii efficaciae in ſanguinem paretur,) balneationibus tepidis, niſi ſymptomata funeſta praecipitari ſalivationem ſuadent, laxandus eſt. Anne

ergo

ergo ſunt ſiphylico cuivis, nimia quantitas, lentor ſanguinei laticis nimius? in morbo fractis, vix ſanguinis ad vitae munia peragenda ſatis eſt; ad hoc plerumque in talibus, tenuis nimis eſt. Anne tunc foret medici prudentis conſilium ibi V. S. celebrare, repetere? Sed in plethora, et hinc plerumque in exercitu, repetita ſanguinis miſſio convenit. Omnes ſiphylicos, aquâ tepidâ ſemel, ſtrigoſos cum farina ſaepius abluo; hoc ſummi momenti eſt. Dum catharſis et cibi ſolidioris abſtinentia, et, ad pravam illuviem, in primis viis ſaepe haerentem, educendam, corrigendam, et ad diarrhoeam praecavendam proficiunt.

13tio, His rite peractis, lanulâ ſuccidâ, quippe de anni tempore eclectico parum ſolicitus ſum, probe induatur aegrotans; eligatur cubiculum ſatis amplum, ab aëris externi injuriis tamen rite tectum; et tunc de modo mercurium exhibendi conſiderandum eſt.

1mo, Inter medicinam facientes, quaenam methodus maxime tuta, efficax maxime eſt hydrargyroſim excitandi, acrius diſputatur: omnes fere mercurii praeparationes, in praxi ſatis frequente per novem annos, adhibui. Suffitus plerunque dira ſymptomata excitat, cerebrum turbat, &c.; et quamvis ozaenae

et

et ulcerum oris curatio huic permitti queat, nullus cinnabare accenso, unice salivam proritare tentet. Argentum vivum intus sumptum, etiam aliis additis, vel penitus spe sputi aegros lactat, vel nimia ejus quantitas requiritur. A viridi mercurio statim plerumque vitiatur ventriculus, alvus funditur, est drasticus nimis; precipitatum album intus adhibui nunquam, nunquam corrosivum sublimatum, sed mercurii crudi affusione, et sublimatione iteratâ retusum saepissime: aequâ vero comparatione institutâ, aquilam albam, saepius nauseam, vomitum, diarrhoeam, tormina creasse, incertiorem fuisse, appetitum semper pius prostravisse, quam mercurius cuti illitus inveni. Anne frequens, alvi fluxus calomelani superveniens, ab ejus acrimonia, vasa exhalantia intestinorum, praecipue vero magnam glandulam salivalem, pancreas dictam, irritante, pendere videatur? quapropter nunc, caeteris missis, nisi quaedam calomelanos usum suadeant, unguento utor.

R. Argenti vivi per alutam colati, et probe a peregrinis defaecati partes duas, axungiae porcinae recentis partem un. et dimid. tritu longo in parva terebinthinae quantitate extinguatur, et tunc cum axungia, in formam unguenti incorporetur. Hocce unguentum satis

tis forte eſt; et mitius, additâ axungiâ, pro delicatulis, pueris, &c. reddi poteſt. Ad focum brachia, axillae primo, poſtea inguen, femora, tibiae, linteo calido bene detergantur, fricentur; ad focum, cuivis harum partium, fortiter unguenti hujus quantum capit drachmam mercurii m. et v. per triduum, os ſolicite inſpiciens, illino: quarto die ſi vel nulla vel parva futuri ptyaliſmi appareant ſigna, bis iterum drachmam unam affrico, et dein quid ſit futurum cras attentus expecto. Sed tunc ſi nec halitus, nec os internum, quod raro fit, mutationis dent ſigna, die ſexto bis iterum eandem quantitatem (ſemper partem fricandam aquâ ſaponaceâ calidâ lavans, linteo calido detergens) inungo. Hoc argenti vivi pondus, niſi ſe per vias inteſtinales irruens profundit, fere ſemper in glandulas ſalivales patentes, numeroſas, ſanguinem copioſum recto fere tramite a corde recipientes, effectus proprios edit; vel per poros cutis ſudorem ingratum exhalat; vel denique per renes, quod rarius, ſe praecipitans, urinam faetidam copioſam fundit. Sed ſi nulla horum accidunt, quod reliqui eſt ex duabus mercurii unciis eodem modo illino, et dein alterum diem ſedulus

dulus animum attendo. Tunc quidem, ſi non mutentur oris interna, quod rarius eſt, ventriculum radice braſilienſi ipecacuanhâ dictâ, et nonnunquam grano uno vel altero emetici flavi addito, concutio; fortiori raro utor. His plerumque brevi poſt erumpit ſputatio.

ANTE quatuor annos, me remedium in ſale abſinthii, ad vires mercurii in ſanguinem tuto, cito expediundas, inveniſſe gloriabar. Nupera vero pericula a me caute adhibita, quod, quamvis nonnunquam effectus mercurii fundentes ſumme promovet, huic mirae ignis ſoboli non eſſe ſemper fidendum, monſtrant. Ubi vero tres uncias illeveris, nec inde ſputum elicitur, ſalis abſynthii ſemiſcrupulum bis die in idoneis poculis per duos vel tres dies propinare poſſis. Nihil noxae ab illo, immo potius appetitum firmiorem, et urinam valde auctam vidi.

2do, IN inunctionibus nunquam uncias quatuor tranſcendo, et probe memini ne vel hâc quantitate, ſputum in quodam proritatum. Aſt enormiter per duas ſeptimanas, ſudavit aéger, et epidermidem fere totam tanquam exuvias poſuit. His, ſiphylica mala curabantur. Erat attamen halitus oris vix ferendus,

et

et genae intumuerant. Uncia una vel altera, modo priora obſerventur, eſt quantitas ad ſalivae debitam copiam proritandam, in plerisque accommoda; laudabilem vero hydrargyrosim ſemunciâ ſaepius excitatam vidi.

13mo, Sed lento gradu ſic ſputum elicere, eſt ſummi omnino momenti. Mercurius eſt ſemper remedium anceps. Deſidioſus, et quaſi ſui officii oblitus in corpore aliquando videtur; tunc vero ſubito, collectis viribus, et omni ſuo terrore armatus, erumpit, et miſerum peſſundat. Hinc, ab uſu argenti vivi nimis praecipitato, olim mors vel morte pejora mala ſequebantur, et adhuc hodie nimis crebro ſequuntur.

14mo, Prodit ſe ſalivatio his ſignis praecipuis.

(α) Calent primo oris interna, praecipue circa veſperem, injucunde ſapit ſputum, in diverſis hominibus diverſiſſimum.

(β) Tument, rubent, calent, dolent, genae, labia. Gingivarum, facile ſanguinem foetidum fundens, eſt tumor fungoſus. In quodam ante ſalivationem, a gingivis valde tumidis, ſemilibra, et ultra ſanguinis atri erupit.

(γ) Foetet intollerandum ſpiritus; hic foetor a mercurio maſſam ſanguineam diſſol-

vente

vente, ſales oleaque ejus volatiliora reddente; hoc eſt, a ſanguinis induĉta putredine vera pendet. Hoc ulterius ſequentibus patebit.

(δ) Stupent, vaccillant dentes. Quemdam ὀδονταλγία ſoeviſſima per totum fere ſputationis tempus vexatum vidi. Illi omnes capilli deciderunt.

(ε) Intus mala, ſtigmatibus, praecipue circa duĉtuum ſalivalium ora, cineritiis, olentibus notantur. Lingua tumet, albet ſuperius; duĉtum Whartonianum ulcuſcula generis ejuſdem, ſaepe et margines, et linguae apicem, valde dolentia, conicae quippe et fungiformes papillae margine frequentes, molles ſunt, ibique majores quam alibi, deturpant. Hinc guſtatus pervertitur, loquela, manducatio impediuntur.

(ζ) Hoc tempore quoque effloreſcit plerunque cutis, et hebetatur viſus.

(η) Auditum ſputantium nonnunquam imminutum, aliquando acutiorem, doloroſum, ſed tunc ulcuſculum maxillam inferiorem prope articulationem obſidebat, vidi. Surditatem quoque perfeĉtam, in juvene ulcuſculis oris et veli palatini venereis laborante, in caſtris recordor. Anne a tuba Euſtachiana tumore

more compreſſa? Vitiis oris mercurio diſcuſſis, rediit auditus.

(θ) Ex ulcuſculis, ſanguis, ſaepe magnâ nimis copiâ, noctu praecipue, craſi diſſolutus, male olens, funditur. Provenit a genis ſaepiſſime, a gingivis nonnunquam, a lingua ſaepius, a faucibus aliquando, a dente carie exeſo rariſſime. Ad hunc compeſcendum, et os interne mitigandum, ribeſiorum gelatinam aceto vel vino rubro ſolutam, prae reliquis accommodam inveni.

(ι) Sputum hoc tempore pleno rivo manans, a ſaliva, odore, colore, ſapore, valde differt, acidis mineralibus vero, ut quidam ſcribunt, ne vel minimum tumultum ciens unquam vidi. Saepe deficit mane; e lecto vero ſurgere, corpus tantiſper exercere, et liquores tepidos affatim ſorbere, iterum promovet.

(κ) Procedente ſalivatione, minuuntur reliquae ſecretiones, excretiones. 1mo, parum urinae reddit veſica, eſt ea colorata, acris, foetida, aliquando etiam ſanguine parum tincta, ſedimentum deponens. 2do, Alvus quoque aſtricta manet; ſaepe nihil foecum, per unam, duas, raro tres ſeptimanas, fundentem, videre fuit. Sed confert excrementi partem,

poſtquam mercurius in glandulas oris vires probe exeruerit, calore induratam, peſſario quovis, vel clyſmate miti, ſingulis ſeptimanis ſubducere. Melius ſic curſum Ptyaliſmus abſolvit. Febris, cephalagia (de quibus λ) minuuntur, immo fortaſſe, alvi fluxus praecavetur, certe dolor atrox, a faecibus in lapideam fere duritiem compactis, finito Ptyaliſmo proveniens, eluditur, minuitur. (vide 19. 2.) Confert quoque haud parum, urinam nonnihil promovere. 3tio, De inſenſili perſpiratione nihil habeo dicere; ſed ſemper magis rite procedit hydrargyroſis, ſi initio ſudor, et poſtea madoris foetentis parum per porulos cutis emanet. Eſt optima ſalivationis vicaria ſudatio hoc modo excitata, vid. 13. 2.

(λ) Febricula ſemper, febris aliquoties adeſt. Sanguis hoc tempore miſſus, eſt craſi diſſolutus. Tetrum odorem ſtatim exhalans, vix ſeparans, citiſſime putreſcens, in auras difflans, abiens. Pulſus ad 100, 110, 120, et ſi nimius calor cubiculi eſt, ad 130, et ultra acceleratur. Capitis dolor plerunque urget.

(μ) Vigilia. Sputantes raro, nunquam alte dormiunt. An a mobilitate, tenuitate, calore, pondere aucto, putredine (γ θ λ) ſanguinis id pendet? Annon phyſiologicis demonſtratur

monſtratur, partes tenuiores, ſolidiores, ſphaericas ſanguinis, fere recto ductu, magnâ copiâ, cerebrum alluere? Certe quicquid ſanguinem minuat, velocitatem, ſtimulos demulcendo, diffringendo, tardet, quicquid in cerebro congerat, ſomnum conciliat.

15mo, HAEC ſunt ſputationis praecipua ſigna: quo modo rite fluat, ut diſſeramus, jam reſtat; et primo, de cubiculi calore pauca monere liceat.

(*a*) IN calore cubiculi, etiam primi ſputum excitantes medici Itali, &c. erraverunt, in hoc etiamnum practicorum plurimi peccare videntur. Calor ſani in regione noſtra eſt 90 vel 96 grad: hic calor, febre excitatâ, (λ) ad 100, vel ultra, aſcendit. Sed, ſi calor cubiculi, a 50 (qui eſt medius, in noſtro coelo, caloris gradus) ad 100, vel ultra, ut ſaepe fit, intenditur, quae non extimeſcenda ſunt?

(*b*) 1mo, ACCENDITUR febris: 2do, cephalalgia ſaevior fit: 3tio, tumet ſtupendum facies: 4to, vox plane, linguâ vel extus tumidâ indecore haerente, vel intus immotâ manente, intercipitur: 5to, nimia ſputatio, foetidiſſima, ſaepe cruenta: 6to, difficillima redditur deglutitio: 7mo, vigiliae urgent: 8vo, ſpiritum anheli ducunt: 9no, ventriculi nau-

ſea,

ſea, vomituritio: 10mo, ſanguinis multum ab ore exſcreant, a pulmonibus tuſſiunt: 11mo, tormina, ſedes cruentae vexant: 12mo, animo ſaepe deficiunt: 13to, delirant, quid multa? 14to, moriuntur.

(*c*) Annon calor nimius fere ſimilia in ſano producere quit? In caſtris, in itineribus, atrociſſima ab inſolatione vidi. Et quid, quaeſo, in febribus acutis, putridis, malignis, effloreſcentiâ comitatis, pejus eſt calore immodico?

(*d*) Horum ſymptomatum haec fortaſſe eſt αἰτιαλογία. Vis aeris calentis ad 96 gradum, totum ſanguinem, primo ſerum, cruorem lentius, donec utraque in volatilem et foetidum halitum, (experiente egregio Hallero) exiguâ faece relictâ, abeant, ſolvit. Sed calorem cubiculi hunc gradum ſuperantem ſaepe nimis notavi. Hinc fit putridus (quippe mercurius naturâ ſanguinem putreſcentem reddit) ſanguis, hoc eſt, acris, ſtimulans, venenatus fere; inde ſymptomata ad numeros 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 12.

Ad haec, calore febrile omni rareſcunt humores, extenduntur ſolida, extenditur et gluten intermedium; ergo cohaerent minus; ſed et momentum, ut et velocitas, mercurio adhibito, ſanguinis augentur; immo et fibrae

et

et humores putredine tabeſcunt, diffluunt; ſed eſt putridus jam ſanguis. (vid. γ, θ, λ, *d*.). His fibrae teneriores ſolvuntur, diſrumpuntur; effluunt liquores acriores. Hinc ſymptomata ad numerolos 8, 10, 11, 13, 14, et reliquorum 1, 2, 3, 4, 5, 6, 7, 9, 12, incrementum.

(*e*) Annon et ſanguinis putredo, (caeteris miſſis) ab ignoto quovis ab aere recepto in inſpiratione, minuitur in ſanis? Certe hoc quodcunque eſt a fervore cubiculi corrumpi videtur.

(*f*) Sed et pathologiae aſſentitur θεραπεία. Praecaventur plerunque a ſuſpenſa mercurii inunctione, a calore cubiculi temperato: curantur antiſepticis, vino, camphora, cortice, acidis vegetabilibus praecipue, purgantibus blandis, e. g. ſenna, cum tamarindis, cremore tartari, decocta, aſtringentibus, auſteris, calore moderato.

Cuidam quadragenario, tabe veneriâ laboranti, mercurii unciam unam adhibui. Ad tres libras viginti quatuor horarum ſpatio ſputum effudit. Secunda ſeptimana, antequam e vita diſcederet, uxor moerens, ut viſerem, rogabat. Moribundi quidem prae ſe ferebat ſpeciem; ſtragula ſanguine maculabantur,

matulam

matulam ſatis largam tum ſanguinis ſemiplenam, omni momento cruorem tuſſi per os rejiciendo, fere implevit. Erat cubiculum injuſſu meo fervens, foetens; vix ſpiritum ducere poſſem; praeterea morbo pulmonico olim obnoxius fuerat. Femora ſtatim ligavi, focum fere extinxi; elixirem vitrioli in vino rubro, ut et doſim pulveris ſtyptici exhibui; his, cito quies impetrata erat; uncias tunc quatuor ſanguinis e pedibus eduxi: ſiſtebatur haemoptoe, et ne rediret, mercurii vires catharſi revellendo, curavi.

g. ANNE ergo frigori exponendus eſt ſiphylicus? neutiquam. A frigore ſuſcepto dira oriuntur mala. Neque hoc, etiam aliis ejus effectibus omiſſis, mirum, ſi cum Sanctorio conſideremus, quod, ex ciborum libris octo, quinque (nullâ, inhalatorum humorum his viis quoque difflantium, habitâ ratione) in auras abeant, videatur. Haec perſpiratio merito inventoris nomine inſignita, aquâ ſubtiliſſimâ praecipue, forte oleo, certo ſale volatili, &c. tritu, calore, a mercurio volatilioribus redditis, conſtat. Sed haec tam copioſa excretio (forte in ſputantibus minuitur) ſic mutata et acrior longe facta, ut et ſputatio ipſa, retropelluntur. Retropulſis, partes corporis

poris infirmiores, minus frigori obnoxias, maxime dilatabiles, occupant. Hinc vel 1. haemoptoem, vel 2. lateris, vel 3. laryngis, 4. vel articulorum inflammationem, vel 5. alvi fluxum, aliaque multa, ut fert aegrotantis genius, ſemper vero febrem arceſſit, accendit. Curatur 1. haemoptoe ut F. 2. conveniunt nimis doloroſo, cruento, ventris fluxui revellentia, ſennae cum tamarindis decoctum, rhei tinctura, acida cum aromaticis, antiſepticis conjuncta, adſtringentia. 3. Febrem et inflammationes, ſanguis detractus, lavacra tepida, diluentia, humorum putredinem arcentia, diaphoretica mitiora medentur. 4. Reliqua mala eandem fere medelam, ac ſi reverâ erant morbi non a ſputo cohibito provenientes, ſuſcipiunt. Fomentis, induſiis calidis, immo forte doſi alterâ unguenti, his (1. 2. 3. 4.) diſcuſſis, ſputatio revocanda eſt.

h. Hinc quoniam, et a caloris exceſſu, et a frigore ſuſcepto, tam dira fluant ; gradum quo teneri debet ſiphylicus, ſummi determinare momenti eſt. Sed quoniam nonnulli et caloris et frigoris aliis magis patientes ſunt ; temperamenti, aetatis, anni tempeſtatis ratione variandus eſt iſte. Sed, in univerſum, quoniam corpus aëre circumfuſo calidius eſt,

et

et omnis febricitat ſputans (*vid.* λ.) ſexageſimum gradum thermomet. Fahrenh. modo cubiculum ab aëris injuriis ſolicite defendatur, hyeme etiam, calidum ſatis inveni. Æſtate vero foculum tantum, niſi m. et v. permitto. Immo aeſtate, ſaepe ptyaliſmum proritatum, feliciter ad finem perductum, in horreis novi.

Militi cuidam, habitus ſanguinei, 30 annos nato, intemperato, poſt 12 mille paſſuum iter, et V. S. proximo die ſatis largam, pro ophthalmia, labiorum tumore, ſcabie ſiccâ fatiſcente, flavâ obductorum, oris interni ulceribus, dum reliquas cutis partes vel ſcabies eadem, vel puſtulae purpuraſcentes, vel lividae deformabant, collega nuperus, D. Robertus Murdagh, calomelanos grana quinque, cras ſemidrachmam pilularum cochiae ſumpturo, in conſerva roſarum H. S. dedit. Diluculo militum manus, cum quibus erat, ad Vagniacum in Cantio ultra 20 millia paſſuum contendere cogebatur; cum ſociis et noſter (quippe erat ſtrenuus) quamvis tempeſtas erat frigidiſſima, nivoſa, iter fecit. His, ſymptomata priora excanduerunt; quapropter, itinere finito, ſtatim ſe ad lectum contulit. Mane proximo, copioſa vera mercurialis ſputatio

erupit,

erupit, quam, quoniam brevi legioni Belgium adnavigandum erat, sistere iteratâ V. S. et catharsi repetitâ, &c. necesse fuit. Sed his non obstantibus, per quinque dies, quibus libras quindecim sputi effudit, perstitit. Interea temporis, facies scabiosa, tumida, idoneis fovebatur, et unguento mitissimo mercuriali curabatur, dum os, aquâ calcis et melle Ægyptiaco colluebatur saepe. His, cito evanuerunt, integrum cathartica perstiterunt, et sanus brevi post cum legione mare trajecit.

16. Sic caloris gradu statuto, de poculis et diaeta siphylicorum parum dicere restat. Militibus bibenda quae sequuntur exhibeo, ℞ lactis P. 2. aquae (cui incoquitur panis bis cocti Q. S.) P. 1. coquantur, adde ab igne remotis, aquae cinnamomi, Q. V. Infusum quoque salviae cum saccharo edulcoratum, vel decoctum vulgare farinaceum, vel cerevisiam tenuem cum pane tosto, vel denique Thee ipsum; loco meliore natis eadem, et vini aliqualem portionem concedo. Sit victus nutriens, cardiacus, pullorum juscula, gelatinae, &c. His, magis par est unusquisque ptyalismo ferendo, dolores, hilaritate quadam demulcente, minuuntur, sputi copia au-

getur, et quod grave eſt, macilentia, a qua tabem heu nimis crebro ortam vidi, praecavetur, N. B. antequam bibat ſiphylicus os colluere quovis liquore ſemper expedit.

17mo. QUAMVIS caloris moderamen, et parca mercurii inunctio, tam multa praeveniunt; et quamvis idoneis ingeſtis foveatur hydrargyroſis; nonnulla tamen, quae niſi coercita, aut vitam periclitant, aut ptyaliſmum vanum reddunt, in ſtatu aliquando accidunt. Inter haec eminet dyſenteria ſemper atrox, ſaepe funeſta.

A. MORBUM ſatis cognitum non hujus eſt loci deſcribere, liceat tantum obſervare, quae excernuntur valde foetere, vulgo cruenta, et quod, dum ſedes et tormina vexabant, ſputum copiâ auctum, ſaepiſſime notavi, dyſenteria vero fatiſcente, tunc et hoc fatiſcit, iterum uſu unguenti circumſpecto ſolicitandum.

1. SI dyſentericus naturâ vegetus plethoricus ſit, ſanguinem minuere caute expedit venaeſectione. Emeticum olim adhibere mihi erat ſolenne; ſed multa mala, praeſertim ſanguinis fluxus, inde orta vidi (nec mirum ſi γ θ λ conſideremus) quapropter rem nunc potius alvum ſolventi miti (9. 2.) committo. Si vero multum laboret ventriculus, oxymele

ſcillitico

ſcillitico, cardui benedicti vel florum chaememeli infuſo, parum concuti poſſit.

2. Ad dolorem ſtatim ſedandum, omnes, nec immerito, laudanum Sydenhami collaudant.

SED haec (1. 2.) ſaepe fruſtra adhibentur, et perit miſer, niſi antiſeptica, quorum latiſſime patet claſſis, praeſertim aromatica et acida, theriaca, vinum, ſerum rhenanum, opem ferant. Non videntur eſſe tam tuta acida mineralia; quoniam, ut mihi clariſſ. patronus D. Andreas St. Clarius inter colloquendum de hac praxi innuit, acidis mineralibus argentum vivum per ſe innocens, corroſivum, venenatum devenit. Nec in praxi civili ſuadeo. Attamen in exercitu, elixire vitrioli vino auxiliante, ſaepe hoc malum feliciter diſcuſſi. Annon acetum theriacale egregie proficeret?

HIS plerumque diaphoreſis blanda, quae eſt hujus mali criſis tutiſſima, promovetur. Aeger lecto continendus eſt.

3. ELECTUARIUM diaſcordii et aſtringentia ad medelam quoque aliquid faciunt.

B. Si (1.) ultra modum intumeſcat facies, et (2.) ulcuſcula amygdalas depaſcant, foveatur quovis diſcutiente ſpirituoſo facies, mutentur

tentur caute tibialia, et quae glandulae colli operiunt. Ad (2.) ulcuſcula detergenda, ſananda, hordei vel ficuum decocto, addito melle roſaceo, os colluere oportet. At utraque (1. 2.) curanda, alvum leniter ſubducere, pedes in aquam tepidam immergere, epiſpaſticum pone aures ponere auctor ſum.

Post haec, nonnunquam tonſillas ſtigmatibus gangraenoſis notatas obſervavi territus. Unicum remedium eſt, glandulas haſce, tribus quatuorve in locis, vulneribus ſatis profundis ſcalpello incidere, quae melle roſaceo vel aquâ calcis, adjectâ mellis Aegyptiaci aliquâ portione, curanda ſunt. Niſi his ſuccuratur citiſſime, ad gulam ſerpit malum et exitiale eſt. Hoc eo magis lynceis oculis inſpiciendum eſt, quia et dolor et calor febrilis imminuta videntur. Hae ſunt induciae admodum fallaces; dum enim incautus nihil periculi ſubeſſe (ut probe monet cl. Archiater Mead) et aegrotum in vado eſſe praedicit, pulſus vacillans, facies pallida, inquietudo ſumma, ſudores frigidi ſe invicem excipientes, ſputi ceſſatio, fatum inſtans praenuntiant. Gangraenâ curatâ, non eſt iterum ſollicitanda hydrargyroſis; ſed alio quovis modo e corpore eliminandum eſt virus venereum.

Haec ſunt dira ſymptomata: ſed et le-

thum,

thum, a perpetua liquidorum rejectione, utcunque illa desiderentur, nonnunquam sequitur. In actu effervescentiae bibatur mistura antiemetica a clarif. Riverio descripta, parum addito laudani Sydenhami. Enemate subducatur materiae infestae pars. Applicetur ventriculi regioni panis tostus, vino rubro tinctus, cum olei nucis moschate p. e. portiuncula: commode quoque apponitur cataplasma theriacale Dentur et acida prius laudata.

An tali conveniret aquae fontis frigidae poculum?

D Et denique, si sputi quantitatem sustinere non potest aegrotans, liquanda alvus, interdum etiam ducenda; mutanda sunt caute tibialia, indusia, stragula; quia haec, ptyalismum, mercurio nonnihil imbuta, focillant. Hoc jam quoque tempore, sulphuris semidrachmam ter die exhibere, in consuetudinem venit. Anne sulphur in linimenti formam, cum butyro vel axungia redactum, et cuti illitum, ptyalismum nimis saevientem inhiberet? Sed et acescentia, et quae ad literulam *(f)* commendantur, in immodica hydrargyrosi proficient.

Minima quantitas nycthemerae spatio debeat esse bilibra, maxima quintussis vel sextussis.

E.

E. EADEM tentanda ſunt, ſi extra debitum (de quo 18) protrahitur, ut ſaepe fit in phlegmaticis, ſputatio. His quoque ſudor, ſpirituum accenſorum ope elicitus, proficit. Colluatur quoque os gargariſmo quovis aſtringente ſiccante.

HAEC denique ſunt magis ſolennia, quae in ſtatu hydrargyroſεως accidunt; ſed et haec rarius, modo quae ad 14 in fine, et lit. *b*. laudantur, obſerves, evenient.

F INUSITATIORA ſunt paralyſis, torpor, ſtupor, ſpaſmi, &c.

18vo, QUAMDIU foveri debeat, tantum uſu magiſtro doceri poteſt, hydrargyroſis; caeteris paribus, donec vitia venerea evaneſcant, eſt protrahenda. Poſt tres ſeptimanas pleni ptyaliſmi, plerique taedio affici ſolent. Sed in hoc morbo ſemper ſatius plus, ſi audiens dicto ſit mercurius, et vires ſufficiant, quam parum agere.

19no, FATISCENTE ptyaliſmo, augeri incipit urinae copia, nunc plerumque copioſum non adeo foetidum ſedimentum deponens; oris interna minus dolent; detumeſcit facies, dentes firmiores fiunt, et vox et cibi deſiderium redeunt; ſapidorum appetitus, ceſſat capitis dolor, nunc ſomniant.

COL-

Colluatur os aquâ calcis, melle ; gingivarum firmitas alumine in vino rubro ſoluto promoveatur. Cibus caute, parce, euchymus, animalis indulgeatur.

1. Hoc tempore quoque plerumque urgere ſolet cardialgia cum aquae rejectione (Angl. *Water-braſh*) et ructu acido. Haec ſunt valde inquieta. Spiritu e cornu cervi ope ignis elicito, et ſale a lixivio abſynthii praeparato, ſtomachicis, roborantibus, victu ex animalium partibus petito, aſſato, curantur. Haec rariſſime medicum ſpe inani lactant ; ſin, rad. ipecacuanhae curationem abſolvit.

2. Eadem quoque tempeſtate, quamprimum ac venter ſedis indicia dat, injiciatur ſumme lubricans clyſma. Sic faeces quae ſemper (niſi quae ad κ obſervantur) pigrae et durae ſunt, in itinere tortuoſo emolliuntur, et rectum ab illarum ſcabritie defenditur. Hujus neglectu, imi, mollis, adipoſi inteſtini, inflammationem, haemorrhoidas, &c. excitata vidi.

3. Sed et diarrhoea aliquando infeſtat. Inſpiciantur excreta, ſunt valde ab fluxu ad A diverſa, et diverſam medelam (huic enim ſymptomati nocerent acida) ſuſcipiunt. Vino rubro cui incoquuntur cortex cinnamomi vel granatorum

granatorum, rheo, aſtringentibus, aquâ calcis (cujus miros effectus, in inteſtinorum laevitate, et dyſenteria quatuordecim menſes veteri, nuperrime expertus ſum) emetico Braſilienſe, curatio peragitur.

4. Declinante ſic ptyaliſmo, teſtes cuticulam totam, exuvias tanquam, ponunt plerumque.

5. Et denique hoc tempore, diaphoreſim blandam, biduo quovis per ſeptimanam unam vel alteram, decocti ligni ſancti, &c. uſu promovere, proderit. Sic enim dira, ab auctoribus memorata, a mercurio in fabrica celluloſa, &c. nidulante, provenientia, praecaventur. Hoc quoque ſi quae morbi reliquiae ſuperſunt, efficaciter propellentur. Cathartica raro requiruntur, uſum quoque aquilae albae improbo.

20mo, Tandem corpus aquâ tepidâ farinaceâ, ſaponaceâ lavetur; ad veſtes conſuetas paulatim redeat convaleſcens, mutet cubiculum, aeri tandem ſereno, aprico, meridiano exponatur; et denique ruris amoenitatibus, et ab equo exercitio, ad conſuetum vitae genus revocari debeat.

21mo, Si vero, neque ruris amoenitate, neque exercitio, nec vini rubri poculis mode-

ratis

ratis, appetitus, quod raro accidit, non convalescat. Tincturâ ipecacuanhae ventriculum irritare prodest, qui, medicamentis ex chalybe, amaris et aromaticis adjunctis, tincturae praesertim modo, quotidie propinatis, et cibos brevi expetit, et rite digerit. Aquae vero, quae per venas hujus metalli fluxerint, remediorum omnium chalybeorum sunt efficacissimae.

22do, Post Ptyalismum, 1. militem saepe pollicis dimidio, mane etiam, longitudine solenni breviorem, inveni. Unde hoc? 2. unde macies summa? forte horum (22. 2.) ratio reputanti patebit, corpus nostrum etiam sanum, sanguinis circulo, in perpetuo corruptionis statu esse, partes liquidas exhalare, expelli, solida attrita, mole minuta, in circulum abrepta, cum urina, &c. exire. Haec substantiae jactura in juventute, ubi aquae et glutinis plurimum, terrae parum est, maxima observatur. In hoc statu, ergo, si plus perdatur, quam sanguis nutrimenti fons apponit, fiet macritudo. Sed calor febrilis, omnia liquida, olea praesertim, a quo venusta obesitas, volatiliora reddendo, et solida deterendo, hoc est, plus quam apportatur, radendo, maciem facit. Sed, in sputatione, est febris (λ);

eſt quoque putredo (γ, θ, λ). Hi effectus, pondere mercurii, mirum augentur; hinc forte macies, hinc altitudinis diminutio.

23tio, Ptyalismo ſic feliciter peracto, macilenti etiam naturâ ſaepe fiunt obeſiores. Immo corporibus, in quibus vel ex traduce, vel a pravo victu, glandulae vitia contraxerint; humorum omnium defaecatio, vaſorum reſeratio ab hydrargyroſi, haud raro in poſterum ſanitatem praeſtant integriorem. Hoc tamen ſilentio praeteriri non debet, uſu hujus remedii, utut herculei, nimis frequenti, robuſtiſſima temperamenta peſſundari: impar et ipſum tandem fieri morbo debellando.

24to, Ad integritatem plenam conciliandam, et a venere abſtinentia, et ψυχρολουσία conferunt.

FINIS.





